duntur. Nunquam igitur illo qui duplo plus acquirit & dimidio minus erogat, ditior is erit qui contrà facit. Eſt autem alter iſtorum probus, alter non mlaus quidé, quando duntaxat parcus eſt, nõnunquam verò malus omnino, bonus autem vt modo diximus, nunquam. Nam qui & iuſtè pariter & iniuſtè pecunias cumulat, neq; iuſtè impendit neque iniuſtè, diues fit quando eſt parcus. Sed qui omnino malus, quoniam vt plurimũ nepos & prodigus eſt. valdè pauper fit. At qui honeſtè expendit, & iuſtè ſolum acquirit, neq; facilè diuitiis excellet vnquam, neque premetur inopia. Rectè itaque ſermo noſter aſſerit, valdè diuites bonos viros non eſſe, quòd ſi boni non ſunt, felices quoque non erunt. Nobis autem legum propoſitũ huc reſpicit, vt feliciſſimi ciues ſint, ac maximè inter ſe amici. Qui ſanè amici nunquam erunt, ſi mutuis iniuriis vexati plurimis

Valdè diuites bonos non eſſe.

litigando vti cogantur iudiciis, ſed ſi quàm minima hæc ſint atq; pauciſſima. Qua propter oportere dicimus nec aurũ nec argentum eſſe in ciuitate, neq; quæſtum inſuper multum in mechanicis operibus cauponationibúſque & fœnore, nec ex pecoribus turpiter, ſed ab his quæ agricultura offert ac præbet, atque hoc ita, vt queſtus nõ cogat ea negligere, quorum cauſa quæruntur pecuniæ hęc verò anima & corpus ſunt, qua abſque gymnaſtica, & alia diſciplina nullius pretij vnquam erunt. Quare pecunia-

Tria in quib' homines ſtudium ponunt, bona animi, bona corporis, & pecunia.

rum cura, vt ſæpius iam dictum eſt, vltimũ honoris teneat locũ. Quippe cùm tria ſint omnia in quibus homines ſtudium ponunt, vltimum ac tertium eſt, ſi rectè habeatur, pecuniç ſtudium, medium corporis, animi primum. Atqui hæc ipſa, quam nunc condimus reſpublica ſi honores ita diſtribuit, rectè diſponitur. Si qua autem, quæ in ea ſtatuitur lex, aut temperantiæ ſanitatem corporis, aut ſanitati & tẽperantiæ diuitias anteponit, nõ rectè poſita eſſe videtur. Sæpius itaq; legiſlator proteſtari debet, quid ipſe velit, quod ſi contigerit, bene ſuccedet. Sin minus, iuſtituit ſui ſpes eum fruſtrabitur. Atq; ita forſan & ipſe à ferendarũ legum onere & ſeſe & cæteros vindicabit, aliter nullo modo. Qui ergo partem ſuam ſortitus eſt, eam qua diximus conditione poſſideat. Probè autem fieret, ſi cætera omnia quæ veniunt in coloniam, æqualiter poſſideret. Cùm autem fieri id non poſſit, ſed alius veniens plus habebebit pucuniæ, alius minus, multorũ & æqualitatis in ciuitate tẽporum opportunitatúmq; cauſa, opus eſt vt inequales in ea cenſus conſtituantur: vt magiſtratus, vectigalia, diſtributionéſq; ſecundum dignitatem ſinguli, non ſolùm ſuæ maiorúmq; virtutis, aut formæ, aut virium corporis, verumetiam ſecundum diuitiarũ & paupertatis vſum quoad fieri poteſt æqualiter, videlicet inęquali quidem portiona, ſed facile coæquabili accipientes, nequaquam contendant. Horum cauſa quatuor magnitudine differentes bonorum cenſus fieri oportet: Primos, Secundos, Tertios, & Quartos, aut quibuſuis aliis nominibus appellatos: vt alij eodem in cenſu permaneant: alij ditiores, paupertioréſve facti, in cenſum ſibi conuenientem tranſeant. Ad hæc legis figuram, quæ ſequitur, ego ponam: Nempe oportere dicimus, vt in ciuitate quæ ſummi morbi expers futura ſit, quod diſſidium aut ſeditionem rectius appellarim, nec extrema in aliquibus ciuium inopia ſit, nec ingentes diuitiæ. Nam vtraq; illa ab vtriſq; his pariuntur. Quare oportet vt à legiſlatore vtriuſque terminus ſtatuatur. Sit itaque paupertatis terminus, cenſus ſortis, quam ſtabilem eſſe oportet, quámue minorem alicui eſſe nec magiſtratus vllus patitur, nec alius quiſquam, cui curæ ſit virtus Cùm legiſlator his menſuram ſuam præſcripſerit, duplum ad hanc & triplum & quadruplum haberi permittet. Plura verò ſi quis habeat ſiue reperta, ſeu donata, ſiue quæſtu parta, ſeu quauis alia fortuna huiuſmodi cõparata, ſi omne quod ſupereſt ciuitati & diis ciuitatis tutoribus dederit, indẽnis & laudabilis ſit. Sin autem legi non obtemperauerit, quiſquis hoc detulerit, dimidium conſequatur. Ille autem æquali ſuorum bonorum parte mulctetur: pars autẽ dimidia deorum eſto. Quæcunq; verò poſſident vltra ſortem, apud magiſtratum horum cuſtodem à lege conſtitutum apertè ſcribantur, vt omnia de pecuniis iudicia facilia ſint, & valdè clara. Poſt hæc vrbs primùm in medio regionis quoad fieri poteſt cõdatur, in loco qui cętera quoq; ciuitatis habeat cõmoda: quæ nec intellectu nec dictu difficilia ſunt. Deinde in partes duodecim partitio fiat. Vt Veſtæ prima Iouiq; & Palladi conſecretur, eáque pars circulo circunducatur: à quo & vniuerſam regionem & vrbem partes duodecim partiátur. quæ quidem ita æquales fiant, vt agri fœcundi minores ſint, infœcũdi maiores. Sortes quinquies mille & quadraginta ſcindantur, quarum bipertitò quælibet diuidatur. Conſortiri quoq; oportet portiones duas, quarum vtraque remotioris & propinquioris ſit particeps, ita vt pars vrbi proxima cum remotiſſima parte ſors vna ſit, ſecunda quoq; ab vrbe cũ ſecunda à remotiſſima, cæteráq; omnia eodem pacto. Danda etiam opera eſt, vt in geminis his partitionibus, quod modò de fœcunditate regionis & infœcunditate diximus, peragatur, vt videlicet in eis multitudine, & paucitate diſtributionis æquatio fiat. Quinetiam diuidere in partes duodecim viros oportet, quemadmodum & cętera bona, omnium proſus æqualitate ſeruata, omniáque deſcribere. Deinde duodecim ſortes, diis duodecim attribuere, & partem quamlibet ſortis participem ſuo cõſecrare Deo, tribúmq; ipſam vocare. Sed & duodecim vrbis mẽbra, ſicut in reliqua regione factum eſt, ſigillatim in habitationes duas diuidenda ſunt, vnam quidem circa medium, circa extremum alteram. Et habitationis quidem ordo hunc habeat finem. Illud autem cogitare omnino debemus, quòd ea quæ diximus, nunquã talem opportunitatẽ nacta omnia ita concurrent, vt quemadmodum deſcripta ſunt, fiant, & viri habitationẽ huiuſmodi non ferant moleſtè, ſed æquo animo patiantur: pecuniáſq; ſtatas & mediocres habere velint per totam vitam. filiorum præterea generationes ita ſingulis ſint vt diximus, ac auro & argento careant, & cæteris omnibus quæ legiſlator ex ſupra dictis dicturus eſſe videtur: ad hæc regionis & vrbis medio & in extremis ſicut ordinauimus vbiq; habitationes: quæ quidẽ omnia quaſi ſomnia quædam dicuntur. ciuéſque per hæc & ciuitas quaſi ex cera formantur. Hæc vtique modo quodam non malè dicuntur: ſed ea quoque repetenda, num legiſlator nobis hoc diceret? Ne ignorare me exiſtimetis amici, quod modò dictum eſt, verè quodammodo dici. Sed par eſt, vt arbitror, in ſingulis, vt is qui exemplar proponat, ad cuius ſimilitudinem opus fieri debeat, nihil omnino prætereat, quod ad veriſſimam eius conueniat pulchritudinem. Siquis autem ex his nõnulla imitando aſſequi nequit,

De ſitu vrbis.

Diuiſio agrorum.

quæ ſupra vires ſunt prætermittat: & quod his proproximum eſt eorúmq; quæ fieri conuenit cognatũ maximè, omni ſtudio proſequatur, permittatque legiſlatorem voluntati ſuæ finem imponere. Quo facto communiter cum illo conſideret quid ex dictis conferat, quidve ferendis legibus aduerſetur. Nam opus vndique ſibiipſi cõſentiens, artifex omnis vbique agere debet, etiam in re minima, ſi modò ſit laudem conſecuturus. Nunc iam poſt duodecim partium diſtributionem animaduertendum eſt, quòd cum duodecim partes hæ plurimas in ſe portiones, portionibúſque connexa & orientia ex connexis habeant vſque ad quinque millia & quadraginta, vnde & tribus & gentes & vicos habent, & ad rem bellicam ordines atque ductus, nummos præterea & menſuras ſiccorum atque humidorum & pondera ſimiliter, hæc omnia commenſurata, & conſona inter ſe à legiſlatore ordinari debent. Præterea timendum nõ eſt ne exiſtimemur minutiora & parua nimium conſiderare, ſiquis iubet vt vaſa & ſupellectilia ciuium omnia menſuram habeant ſuam, nullúmque ſine certa menſura poſſideatur: & communi ratione cenſeat ad omnia perutiles eſſe numerorum partitione varietatéſque, ſecundum quas & ipſi inter ſeipſos varii ſunt, & in longitudine & profunditate ac vocibus varietatem accipiunt: in motibus quoque tam recto motu aſcendendo vel deſcendendo, quàm circuitu. Ad hæc omnia ita reſpicere debet legiſlator, vt ciuibus omnibus præcipiat, ne ab huiuſmodi numerorum ordine quoad poſſunt, diſcedant. Nulla enim alia vna pueritiæ diſciplina, ad rei familiaris gubernationem, ad Rempublicam, ad artes denique vniuerſas tantam habet vim, quantam huiuſmodi numerorum cognitio: quódque maximum eſt, ſomnolentos etiam, & natura rudes exſuſcitat: & dociles, memores ſolertéſque facit præter naturam ſuam diuina arte proficientes. Quæ quidem omnia, ſi modò legibus aliis atque officiis illiberalitas & auaritia eorum animis extirpata ſit, qui ea ſufficienter & vtiliter ſuſcepturi ſunt, bonæ inſtitutiones, & commodæ fuerint. Sin minus, malitia hinc potius quàm ſapientia clàm originem trahet: qnod Aegyptiis & Phœnicibus multiſque aliis gentibus nũç videmus contingere, propter cæterarum artium facultatúmq; illiberalitatem: ſiue quis rudis legumlator id fecerit, ſiue fortuna infenſa, ſiue alia huiuſmodi quædam natura. Nec enim illud, ô Clinia, & Megille nos fugiat, magnam eſſe locorum ad ferendos meliores peioréſque homines differentiam: quibus diuerſa prout expedit legibus ſancienda ſunt. Quippe alij varietate ventorum & turbine, difficiles & proterui ſunt: alij propter aquas: alij propter cibos, qui ex terra non ſolùm corporibus commodi aut incommodi oriuntur, verùm animis quoque non minus. Maximè autem loca regionis differunt, in quibus inſpiratio quædam diuina eſt, & quæ dæmones ſortiti ſunt, qui habitantes, propitij, vel contrà ſuſcipiunt. Quibus pro humano ingenio conſideratis, mentis compos legum conditor, ſe ad leges ferendas cõuertet. Quod & tibi eſt, ô Clinia, faciundum. Prius enim hæc tibi animaduertenda ſunt, quàm habitari facias regionem. CLIN. Egregiè, ô Athenienſis hoſpes, hæc abs te dicta ſunt. Quare & mihi ita eſt faciendum.

DIALOGVS SEXTVS DE LEGIBVS VEL DE LEGVMLATIONE.

MARSILII FICINI ARGVMENTVM.

TRia ſunt genera cauſarũ, quib. diuerſa diuerſis in locis hominũ ingenia fiunt. Quę quidem tria genera Plato in ſuperioris libri fine breuiter comprahendit. Ego verò operæpretium fore arbitror, hac ipſa materia quaſi quodam modo ſextum cum quinto ligare. Sit ergo plurimum in loco diſcriminis ad meliores deterioréſque homines generandos. Cauſa verò ſit vel humana, vel naturalis, vel diuina. Humana quidem, lex, educatio, conſuetudò diuerſa. Naturalis autem, elementorũ alimentorúmq; diuerſitas. Diuina verò, vt cœlum quoque diuinum vocem, ſiderũ numinumq; poteſtas. Siquidem Plato indicat quemadmodũ aliæ cœli plagæ aliis reguntur ſtellis, aliiſq; diis, id eſt ſuperiorib. angelis: ſic alias terræ plagas, aliis quoque dæmonib. inferioribúſque angelis gubernari. Accedit ad hæc aſtronomorũ ſententia, & plagas terræ cœli plagis, & vrbes aſcendentib. ſignis accõmodans. Mitto in præſentia quantum ingeniorum diſcrimẽ afferat familiarum cuiuſque hominis varietas dæmonum. Quod autem ſpirituum ſuperiorum vires, noſtris quomodocunque id fiat ſpiritibus influant, negare non poſſumus, quando manifeſtè videmus corpora noſtra corporibus ſuperioribus agitari: aſſiduéque ab aere aliter permutari. Quòd ſi ſpiritus illi in noſtros agunt ſpiritus, agunt inſuper & in corpora. Paſſio verò corporum humanorũ, ſiue à ſpiritibus illis, ſiue à corporibus ſuperioribus inferatur, eatenus redundat in anima, quatenus tam cõparato, quàm naturali affectu animus ſeſe mergit in corpus. Verùm hoc intereſt, quòd corpora illa per corpora noſtra mouent animas: ſpiritus autem tum animas per corpora mouent, tũ per animas, tum etiam per illum ſpiritum, quem phyſici ſæpenodum animæ inuicem corporiſque cognominant. Memento verò vim omnem atque motum à ſuperioribus in nos deſcendẽtem, ſemper ad bonum ſuapte natura condecere. quandoquidem & cæleſtes influxus ſemper ad bonum. Sed neque ta hic vel rigidiorum hominum triſtitiam & parſimoniam reijcias in Saturnum, vel temeritatem ferocitatémque in Martem: vel fraudulẽtam malitiam in Mercurium, vel laſciuos amores in Venerem. Quid verò, ſi Saturni grauitas in nobis complexionis naturæ, nutritioniſque & educationis vitio, in ſimile quiddam grauitati vitium conuertatur: ſimiliter magnanimitas Martia in audaciã magnanimitati quodammodo ſimilem, Mercurialis induſtria ſimiliter in malitiam, Venerea charitas in libidinem? Nónne ſub ſolis radiis, qui natura ſua ad videndum conferunt & viuendum quotidie accidit, alios viſum, alios vitam amittere? & qui in aere libero ſalubriter calefaciunt, in concauis vrunt? Quemadmodum verò ſub beneficio radiorum influxu ob inferiorem naturam reſultat alicui malum, non vniuerſo: ſic ſub ſtellarum viribus natura bonis atque ſub numinum muneribus optimis, poteſt interdum inferioris vel naturæ, vel conſuetudinis vitio, vitium vel corporis, vel animi ſuboriri. Nihil verò vniuerſo vitium aut malum: quemadmodum in concentu ſecunda vel ſeptima vox: quæ ſeorſum audita diſſonat, interim coniuncta cæteris conſonat vniuerſo. Solent verò Platonici infimos dæmones malos aliquando nuncupare, quoniam ad infimum generationis & ſenſibile bonum ſuo quodam, vt aiunt, officio nos alliciãt. diuertere autem à ſummo bono ad minimum, comparatione ſummi malum iure cenſetur. Miſſum facio in præſenti quod aiũt ſupremos dæmones ad cõtemplationis, medios ad actionis, infimos ad concupiſcentiæ bonũ ducere: quódue his omnibus & vti poſſumus, & abuti: & vtentibus quidem bona contingunt, abutẽtibus verò mala. Appellat verò Plato dæmones & deos indigenas patriæ, non quia inde geniti, ſed quia ciues inde genitos peculiari quadã cura cuſtodiunt. Dicit præterea beatã ciuitatẽ à diis deorúmque filiis coli: intelligens partim quidẽ cœleſtem Hieruſalẽ, ab angelis puriſq; animis habitatã; partim quoq; felicem illorũ vitam, quos in Phædone inquit editiſſimas terræ partes incolere numinum familiaritate beatos. Deſcẽdit poſt hæc in ſexto ad magiſtratus conſtituendos, ſcilicet quòd eſſe oporteat, & quo pacto creari, quidue magiſtratus cuiuſque ſit officium. Inquit autem diligentiam in his creandis tanti eſſe momenti, vt vel bonarum conſtitutio legum abſque magiſtratib. bonis, non modò minimè profutura ſit ciuitati, verùm etiam plurimũ nocitura.

Oportere verò ait tam eos qui magiſtratus electuri ſunt, quàm qui eligendi, eſſe ab adoleſcentia probatiſſimos, maioribuſq; probatiſſimis genitos, & qui conciuiũ mores perfectiſſimè calleant. In his notabis miram Platonis prudentiã in ordine magiſtratuũ eorũq; officio in rebus humanis & ſacris, bello & pace, in vrbe atque agris. Cognoſcéſq; & probabis optimatum gubernationẽ, aliquid regij, necnõ popularis habentem, & quodammodo inter vnum & populum mediam conſtitutã. Animaduertes in ciuilibus muneribus diſtribuendis ſeruandam ſemper æqualitatẽ, non arithmeticam quidem per quam numero vel etiam menſura & pondere paria ſingulis tribuuntur, quæ ſæpe iniuſtiſſima eſt: ſed geometricam potius, per quam conſiderantur merita ſingulorũ: atq; ea ratione ſingulis diſtribuũtur, vt quę proportio meritorũ eſt ad merita, eadem quoq; munerum ſit ad munera: neq; ęqualia ſint munera muneribus, ſed munera meritis. Geminam ergo conſiderabis æqualitatẽ, tũ muneris ad munus, tũ muneris ipſius ad meritũ. Et illam quidem ſæpe noxiam, rarò vtilem, & tunc demum vtilem ſi fiat ſorte. Hãc verò quotidie neceſſariam. In hac vtiq; totam conſiſtere iuſtitiæ rationẽ. Atq; hanc ipſam in Iouis iudicio eſſe poſitã, ciúſq; notionẽ hominibus vix pauciſq; tribui, ſed quantacunq; nobis adſit, per hanc ſolam cuncta ſeruari. Nec immeritò ęqualitatis huius officiũ ſupremi iudicis aſcribit iudicio. Qui cùm ſolus ſecreta omnium penetret, ideóq; merita perfectè cognoſcat, nimirũ ſolus perfectè poteſt meritis æqualia reddere. Idq; ita facit in cælo primũ, deinde in vniuerſo, vt hac ſola pro cuiuſq; naturæ capacitate vbique diſtributione fieri cuncta atque ſeruari, & ab antiquis probatũ, & in Gorgia fuerit comprobatum. Sed inter hæc Plato iterum, qui mos eius eſt frequentiſſimus, pueris educandis incũbens, peculiarem ad id procreat magiſtratum, eúmq; haberi vult omnium in ciuitate ſummorũ magiſtratuum præſtantiſſimũ: exiſtimans abſque colendæ puerilis ſementis prouidentia, totam ciuitatis culturam fore vanã. Aduertes hic humanum ingenium bene quidem cultum, tandem manſuetiſſimum diuiniſſimúmque euadere contrà verò, ſi cõtrà. Sed cúrnam humanũ ingenium ferocius euadere poſſe dicit quã ferarum? Quia quod maximam vim habet ad bonum, maximam quoque habere poteſt ad malum. Item optimum quando deprauatione ſui vertitur in oppoſitum, fit peſſimum. Quod quidem in republica diſputat. Præterea ferocitatem in homine deprauato auget machinatio perſpicaciſſimæ mentis ad malum. Adde quòd ſubtilitas ſpirituum humanorum in ira, conuertitur in furorem. Accedit & quorundam dæmonum irritatio, quod Plato in epiſtola ad Syracuſanos ſignificat, & Homerus ex Aegyptiorũ ſententia frequenter vſurpat, Heroas inducens à diis, id eſt, dæmonibus ad iras & ſanguinẽ animatos. Commendat iterũ numerũ illũ quinquies mille & quadraginta, in magiſtratuũ, domiciliorum, agrorũ partitione omnium commodiſſimum: vtpote qui in multas deinceps portiones integras diuidatur. Sanè ſi vniuerſũ hunc numerum in duas diuiſeris partes, pars dimidia duo millia continebit, quingentáque & viginti. Si verò in tres, pars tertia, mille ſexcenta octoginta. Si in quatuor, quartas quælibet, mille ducenta ſexaginta. Si in quinque, quinta quælibet mille continebit atque octo. Si in ſex, ſexta omnis octingenta, & quadraginta. Si in ſeptem, ſeptima, ſeptingenta viginti. Si in octo, octaua, ſexcenta triginta. Si in nouem, nona, quingenta atq; ſexaginta. Si in decem decima, quingenta & quatuor hucuſque partes omnes ſunt integræ. Sed ſi in vndecim, vndecima, quatercẽta quinquaginta & octo, atque inſuper duas vndecimas portiunculas. Quod ſi in duodecim, duodecima, quatercentum atque viginti. Hic ſiſte pedem. At quoniam nobis ſexaginta commemorat, ſi vniuerſum illum numerum in ſexaginta partes diuiſeris, pars ſexageſima octoginta & quatuor comprehendet: acſi conuerſione quadam in partes octoginta quatuórq; ſecueris; pars quęque ſexaginta tenebit. Videtur autem Plato plurimi facere, quòd ille numerus duodecies diuidatur in quatercentum atque viginti: quódve hic rurſus duodecies in trigintaquinque. At verò hic duodecies in duo atque inſuper vndecim duodecimas vnius partes. Atqui & ipſe numerus quatercentum atque viginti multiplicatur ex numero vigeſies viginti & vno. Nam viginti numerus vigeſies ſemelque replicatus, quatercentum vigintique complet. Laudat duodenarium numerum: & vniuerſum illum, qui duodenario prorſus accommodatur, propterea quòd duodecim ſint apud eum mundi ſphæræ: & ſigna duodecim in zodiaco, & partes duodecim in elementis. Si quidem quodlibet ex quatuor elementis in tres diuiditur regiones, in ſummam & infimam, atque mediam: non ſolùm ſitu, ſed virtute etiam differentes. Adde elementorum alterum duodenarium. Quo & ſubſtantiæ elementorum quatuor & qualitates octo cõprehenduntur. Qualitatũ verò quatuor quidẽ maſculæ ſunt, ſcilicet calor, frigus, leuitaſq;, & grauitas. Quoniã primæ duæ, alterationis principia ſunt, ſequentes duæ principia motionis ad locũ. Quatuor verò fœminæ ſunt, quæ poſſioni magis ſubiiciuntur, ſcilicet humor, ſiccitas, rarumq; & denſum. Hæc verò Aegyptiorũ myſteriis cõtineri. Iãblichus aſſerit. Accedit quòd duodenario menſiũ numero Sol dominus planetarũ & curſũ peragit propriũ, & varios producit effectus. Deniq; ſingulas vult ciuitatis partes Deo cõſecratas exiſtimari, ꝓpriè verò diis duodecim, id eſt duodecim ſphęrarũ animab. Item diis duodecim Zodiaci ſigna regentib. Rurſus duodecim ordinibus dæmonũ cœleſtia ſigna ſequentiũ. Quũ verò dicit partes vrbis duodecim ſequi circuitũ vniuerſi, fortè etiã intelligit totũ octauæ ſphæræ circuitũ triginta ſex millibus annorũ perficiendũ. Qui ſanè numerus trib. annorũ mille duodenariis perfectè cõpletur. Adeò vt in primo mille annorũ duodenario intelligas ex antiquorũ ſentẽtia iuuenilẽ mũdi totius habitũ: in ſecũdo virilẽ: in tertio verò ſenilẽ. Verũ de his opportunius in Timæo. Conuenit his, quod in Phædro inquit: deorũ dæmonũq; exercitũ ſub duce Ioue in duodecim ordines eſſe diſpoſitũ. Concludit hic ciuitatis partes, partim quidẽ per duodenariũ tribuũ templorũq; numerũ, partim verò ꝑ diuinũ cultũ bis quolibet duodecim menſiũ ſolenniter inſtauratũ, ſic ad dei munera præparari, vt diis ipſis quaſi inſidẽtib. gubernẽtur. Bis autẽ inſtaurari præcipua vult publicáq; ſolẽnia quo & duodenario tribuũ, & ciuitatis reliquæ agríq; duodenario ſatisfiat. Quòd autẽ ſacra iubet fieri diis deorũve filiis, deos quidẽ intelligi vult ſphærarũ animas: filios autẽ, dæmones puriores. Cũcta verò hæc Iouis vnius omniũ principis gratia iubet fieri. Neq; verò ſilẽtio prętereundũ eſt: duodenarios quos ptinentes ad vniuerſum cõmemorauimus, à duodenario cuiuſq; hominis proprio, quaſi repræſentari. Qui ſanè ex quatuor corporis humorib. totidẽ ſenſus ipſius perturbationibus, ac totidẽ virtutibus conſtare videtur. Poſt ſacra deorũ ad nuptiarũ ſacra deſcẽdit. Vbi leges ritúſq; nuptiales: exhortationẽ ad matrimoniũ: officia viri & vxoris tũ inter ſe, tũ erga liberos & generãdos & educãdos cõſiderabis. Notabis ante omnia, nõ decere in ebrietate, vel alia mẽtis perturbatione procreãdis liberis operã dare. Atq; ob huiuſmodi delictũ filios quotidie naſci tã animo, quàm corpore ęgrotãtes. Mãdabis quoq; memoriæ myſteriũ, vbi ait, Principiũ & numẽ hominib. inſitũ, ſi cõueniẽti ſibi honore à ſingulis munere ipſius vtẽtib. afficiatur, omnia ſeruat. Quid ergo principiũ? quid numẽ inſitũ aut inſidẽs? Principiũ quidẽ idea eſt formationis humanę principiũ. Numẽ verò familiaris dęmõ, dęmõ quoq; generationis princeps ſæpe ſub nomine Lucinæ ſignificat. At cur inſitũ, aut inſidẽs, aut incubans? vt intelligas numẽ non adeſſe ſolũ, ſed ineſſe aſſiduè atq; fauere: Præcipuè verò fauere, & fauendo ſeruare, ſi gratè colatur ab his qui munere eius vtũtur. Poſt mutua viri vxoriſq; officia, cõſequenter ad mutua dominorũ ſeruorũq́, deſcẽdit officia Poſt hæc ſolita quadã arte redit ad mœnia, tẽpla, palatia, quę ante nuptias tractãda fuiſſe dicit. Vbi notabis in primis curias iudicũ magiſtratuumq; palatia, idcircò tẽplis proxima collocari, quò humani iudices ſemper iudicando meminerint ſe à Deo, dum iudicant homines, iudicari, meminerint quoque cuſtodes vrbis, niſi cuſtodiente Deo cuſtodire non poſſe. Item nihil in ciuitate vel minimum ſine certo quodam ordine eſſe debere. Siquidẽ quod caret ordine, alia inſuper ordinata confundit. Maximè verò ordine & continua cura muliebria indigere. Alioquin ſi mulierum res negligantur, duplo plus, imò & ſupra duplum detrimenti prouenit ciuitati. quàm ſi virorũ neglectæ res fuerint. Inter hæc vbi mundi antiquitas repetitur: quòd dicitur ipſum generationis principium nos inæſtimabili temporis magnitudine præceſſiſſe, intellige ſi obſeruas Moyſem, inæſtimabili dierum horarúmque numero. Conclude librum ea ſententia, vt triplicem impetum, ſcilicet ad cibum, potum, coitum, nequando præcipitemur, vt triplici cohibemus fræno, timore ſcilicet, atque lege, veráque ratione, præterea moderato honeſtorum ludorum à pueritia vſu. Quo per honeſta ſolatia reuocemur à turpibus, & ad ſeria paulatim ſtudia prouocemur.

POST omnia quę hactenus diximus, fermè iam magiſtratus in ciuitate conſtituendi videtur. CLINIA. Ita certè. ATHEN. Duæ profectò hæ ſpecies in ornatu reipublicæ ſunt. Prima magiſtratuum conſtitutio, quot oporteat, & quo pacto conſtitui. Altera de legibus magiſtratui attribuendis, quæ, quot, qualéſque ſunt ſingulis accommodæ

Sed parumper antequàm magiſtratus eligamus, commorati, nonnulla ad ipſorum electionem pertinentia declaremus. CLI. Quænam? ATH. Hæc. Audi iam. Nemini dubium eſt, qui cùm magna res legumlatio ſit, ſiquis ciuitati per leges bene paratæ non idoneos magiſtratus conſtituat, quamuis leges bene poſitæ ſint, tamen non modò id nihil proderit riſumq; mouebit, verumetiam damna & calamitates maximas ciuitatibus pariet. CLI. Planè. ATH. Hoc itaq; conſiderandum, amice, quemadmodum in hac tua ciuitate republicáque contingit. Vides enim eos, qui rectè magiſtratus accepturi ſint, oportere primò ſatis ab adoleſcentia probatos fuiſſe tam ipſos quàm ſuos, vſque ad ipſam electionem. Deinde eos etiam qui ſuffragia laturi ſunt, legitimis eſſe moribus educatos: vt facilè queant admittendos & repellendos cognoſcere, & erga vtroſque pro dignitate ſe gerere. At verò qui nuper conuenerunt, cùm nec ſe inuicem ſatis cognoſcãt, neque adhuc eruditi ſint, quomodo rectè vnquam magiſtratus eligere poterunt? CLIN. Nullo fermè vnquam pacto. ATHE. Sed enim certamen (vt aiunt) excuſationes non facilè ſuſcipit. Hoc autem & mihi nunc, & tibi faciendum eſt: poſtquàm & tu ciuitatis Cretenſibus inſtituendæ officium libenti animo ſuſcepiſti, ac dicimus eis in hoc opere, vt ipſe dicis: & ego tibi auxilium præſenti cõfabulatione afferre promiſi. Quare ſermonem hũc noſtrum ſine capite & mutilum eſſe non patiar. Nam ſi vagaretur, deformis omnibus appareret. CLIN. Optimè dixiſti hoſpes. ATHE. Imò etiam ſic pro viribus faciam. CLI. Faciamus ſic prorſus vt diximus. ATH. Faciemus vtiq;, ſi deus voluerit, & tantum ſenectutis obtinuerimus. CLI. At deum velle credendum eſt. ATH. Credendum profectò. Quare ipſum ſequentes, hoc etiam dicamus. CLI. Quidnam? ATH. Quàm audacter ſimul atque periculosè ciuitas hoc nobis tempore conſtituetur. CLI. Quorſum hæc? ATHE. Quia facilè & intrepidè rudibus hominibus leges damus, vtque ipſas ſuſcipiant, iubemus: cum omnibus fermè, ô Clinia, etiam non multum ſapientibus, perſpicuum ſit, neminem leges nouas facilè ſuſcepturum. Si verò tam diu expectaremus, donec legibus inſtituti pueri, vnáque & diu ſub eiſdem legibus cõuerſati ſuffragia cum vniuerſa ciuitate ferre poſſint, atque id pro viribus rectè fieret, certè & tunc & in poſterum procul ab errore ſic inſtructa ciuitas permaneret. CLI. Sic ratio monet. ATHEN. Perſpiciamus ergo ſi modum quendam ad hæc commodum inuenire poſſumus. Gnoſios oportet, ô Clinia, præ cęteris Cretenſibus, non ſolùm quaſi libando inchoare quam nũc rẽpublicam conditis, ſed omni ſtudio prouidere, vt quam tutiſſimè atque optimè primi magiſtratus cõſtituantur. In aliis quidem conſtituendis opera breuior: legum autem cuſtodes ante alios creare ſumma diligentia neceſſarium eſt. CLIN. Qua via iſtud rationéque faciemus? ATHE. Hoc, ô Cretenſes, inquam. Oportet Gnoſios quando multarum ipſi ciuitatum primi ſunt, cõmuniter cum his qui in eandẽ conuenêre coloniam, à ſeipſis & ab illis ſeptem & triginta viros eligere. Decem & nouem quidẽ ex eorum numero qui coloniam habitabunt, ex Gnoſio ipſa reliquos, Hos vtique Gnoſij tuæ dẽt ciuitati, te quoque ipſum, vt huius colonię ciuem & vnum de octo decémque viris, ſiue id perſuadendo, aut vi mediocriter cogendo faciant. CLIN. Quid verò? nónne & tu hoſpes & Megillus hic Rempubli. hanc nobiſcum participatis? ATHE. Plurimum ſibi, ô Clinia, Athenienſes, plurimum quoq; Lacedæmonij tribuũt, & procul vtriq; incolunt. Tibi autem omnia commodè ſe habent: & habitatoribus aliis ſimiliter ſecundum ea quæ de te modò dicta ſunt, & quæ tibi atq; illis hac tempeſtate conuenientiſſimè fieri poſſunt, expoſita. Progreſſu autem temporis & repub. permanente, huiuſmodi magiſtratuum deſignatio fiat. Quicunq; ſiue equites, ſiue pedites arma ferre poſſunt, belliſq; tum, cum ætas ferret, interfuerunt, ſuffragium ineant in principium electione, comitiáq; in templo habeãtur, quod præſtantiſſimum ciuitas ducat. Vnuſquiſq; autem vndecunq; venerit, in ara dei nomen ſuum & patris & tribus & gẽtis in tabula ſcriptũ deponat liceátq; cuiq; ſi velit, quãcunq; tabulam non rectè ſcriptam ſuſpicabitur auferre, & in loco publico ponere, vbi minus non quàm triginta dies permaneat. Trecentáſq; tabulas ſic approbatas vniuerſæ ciuitati magiſtratus oſtendant, quæ quos velit de iſtis iterum & accipiat & reiiciat. cẽtúmque ita ſecundò delecti rurſus omnibus oſtendantur. tertiò verò nominet de centum viris quilibet quẽcunque voluerit. Septem autem trigintáq; viri, eos qui pluribus delecti ſuffragiis ſunt, magiſtratus declarent. Quinam igitur, ô Clinia Megilléque, hæc omnia de magiſtratibus eorúmq; probatione in ciuitate conſtituent? Num intelligimus in ciuitatibus ſic ab initio conciliatis, eſſe quoſdam oportere? Qui verò ſint ante omnes magiſtratus, nulli ſunt. Cum tamen eos eſſe oporteat, non viles quoſdã, ſed ſummos viros atq; præſtantes. Principium enim dimidium totius operis eſſe, prouerbio dicitur: atque *Prouerbium.* eum qui bene cœpit omnes vbique laudamus. Mihi autem hoc plus quàm dimidium eſſe videtur, rectúmq; principium nunquam ſatis ab aliquo laudatum fuiſſe. CLIN. Rectè loqueris. ATHE. Quare cùm nos id non lateat, ne ſilentio prætereamus: ſed quomodo fiat, perſpicuè declaremus, quamuis ego nihil in præſentia niſi hoc vnum neceſſarium atque perutile habeam dicere. CLINI. Quidnam? ATHE. Equidem ciuitatis huius quam condituri ſumus, neminem aut patrem aut matrem eſſe aio, præter ciuitatem illam quæ coloniam mittit. Nec ignoro fuiſſe multas ac fore colonias, à ciuitatibus quæ miſerunt, diſſidio diſtractas. Quemadmodum verò erga parentes ſe gerit filius, qui quamuis aduerſaturus illis quandoq; ſit, in ipſa tamen pueritiæ indigentia genitores diligit ac viciſſim diligitur, & ad ſuos ſemper refugiens in his ſolis pręſidium repetit: ita quoq; nouam arbitror ciuitatem erga curatores eius Gnoſios, & Gnoſios erga ciuitatẽ nouam affici. Repeto igitur quod modò dixi. Nõ enim nocet bis *Quod bene dicitur, repetere non nocet.* dicere, quod bene dicitur. Oportet vt Gnoſij horũ omnium curã ſuſcipiant, & de colonis viros ſeniores atque optimos nõ pauciores quàm centum deligant, déq; ipſis Gnoſiis alios centũ. Quos in nouam ciuitatem profectos oportere dico operam dare, vt magiſtratus ſecundũ leges conſtituantur, & ſtatuti comprobentur. His factis Gnoſum Gnoſij redeant: noua verò ciuitas ſeipſam ſeruare ac feliciter viuere conetur. Qui autem in ſeptẽ & triginta virorum numero computati ſunt, & nunc & poſtea ſemper iſtas res curent. Primò quidẽ legũ cuſtodiã habeant: *Maxim' cẽſus ciuiũ quẽ vult Plato.* deinde etiam tabularũ, vbi quiſque magnitudinem ſui cenſus cõſcripſerit. Sitq; maximus cenſus minarum quatuor: ſecundus trium: duarũ tertius: quar-

tus vnius. Quòd ſi quis plus quam in tabella ſcriptum dederit, habere depræhendatur, quod ſupereſt, publicum fiat: præterea reus ſit volentis eum táquam infamem accuſare, quando propter lucrum ſpernere leges inueniatur. Atque eum quicunq; voluerit, turpis lucri nomine, apud legum cuſtodes accuſet. Et qui damnatus erit, publicarum poſſeſſionum ſit expers, ac ſi qua bonorū in ciuitate diſtributio fiat, nihil præter ſortem primam aſſequi poſſit: damnatúmq; ipſum eſſe, quandiu viuit, ibi ſcribatur, vbi quicunque voluerit, poſſit legere. Cuſtos autem legū non plus quàm annos viginti hunc habeat magiſtratum, nec pauciores natus quàm quinquaginta eum gerat. Ac ſi ſexageſimum ætatis annum agens magiſtratum hunc nactus eſt, ſolum præſit decenniū: hac vtique ratione, vt qui ſeptuageſimum annum exceſſerit, tantum magiſtratum nō teneat. Hæc igitur tria de legum cuſtodibus pręcepta ſint. proficientibus verò legibus quiuis poterit his viris præcipere, quorum maximè curam præter ea quæ modò diximus, habere eos oporteat. Nunc verò nos deinceps de aliorum magiſtratuū delectu dicamus. Poſt hæc duces exercitus eligēdi ſunt, eorúmque miniſtri in bello, magiſtri equitum, tribuni militum, peditúmq; ordinatores, quos meritò multorum more præfectos ordinum nuncupabimus. Igitur ipſi cuſtodes legum duces futuros exercitus aliquos ciuitatis huius ciues producant, approbent verò aut reiiciant ij omnes qui bellis in ætate cōuenienti interfuerunt, aut ſubinde interſunt. Quòd ſi quis aliquē eorū qui producti non ſunt, productorū alicui præſtare exiſtimet, ei liceat loco illius nominare ac producere aliū, ſi modò prius quod ita iudicet, iureiurando cōfirmauerit. Et nominatus maiore ſuffragiorū numero deligatur. Tres autem qui plura ſuffragia tulerūt, duces exercitus, bellicarūq; rerū curatores quemadmodū cuſtodes legū cōprobentur, qui præfectos ordinum duodecim, vnū cuilibet tribuit nominent. Nominare autem nō nominatū, eūq; nominato præponere ita liceat hic quoque, vt de exercitus ducibus diximus. Comitia verò in præſentia antequam creetur conciliū, & præfecti cōcilio deligātur, cuſtodes legū in ſanctiſſimo cōmodiſſimóq; loco habeant; vbi ſeorſum pedites & equites ſedeāt, tertióq; deinceps cęteri, quicunq; in armis verſantur. Et in eligēdis quidem ductoribus & magiſtris equitū, omnes ſuffragium ineant: in præfectis ordinū, ſolummodo qui ſcuta ferunt: in tribunis militum, equites omnes. At leuis armaturæ aut ſagittariorum cæterorūq; huiuſmodi præfectos, ipſi duces exercitus ſibi cōſtituāt. Reſtat magiſtrorum equitum deſignatio. Hos igitur illi nominent qui ductores etiam exercitus nominarūt: ſuffragiúmq; feratur ſimiliter, ſimiliter quoq; alterius pro altero propoſitio. Ferant verò ſuffragium præſentibus peditibus equites: Atq; duo qui maiori ſuffragiorum numero delecti ſunt, omnibus præſint equitibus: diſceptationes autē de ſuffragiis bis fieri liceat. Tertiò ſiquis dubitet, illi ſuffragia iudicent, qui comitiorū modum in ſingulos ſtatuere. Concilium triginta conſtet duodenariis. Nam diſtributio huic per ſexaginta trecentóſque viros conuenit. Et in quatuor partes per nonaginta diſtribuatur: ita vt à cenſibus ſingulis conſiliarij nonaginta ferantur. Et primùm quidē neceſſariò proferant omnes qui maximo cenſu ſunt: & qui ſuperſederit, pro arbitrio condemnetur, poſtquam vero delati ſunt, conſcribantur. ſequenti die à ſecundo cenſu eodem pacto ferantur. tertia à tertio feratur quicunque velit. Neceſſarium vero ſit hoc trium cenſuum viris. quartus autem minimúſque cenſus à pœna ſit liber, ſi quis eorum ferre noluerit. quarta die ex quarto minimóque cenſu omnes ferant, hac conditione, vt ſi quis ex tertio vel quarto cenſu non tulerit, minimè damnetur. Sin verò quiſpiam primi ſecundiue cenſus ferre neglexerit, condemnetur: ita vt qui ſecundi cenſus eſt, in triplo primi damni condemnetur, qui verò primi eſt, in quadruplo. Die quinta magiſtratus ad omnes ciues diſcripta efferant nomina: de quibus omnes ferant. qui noluerit, primo damno condemnetur. Eorum verò qui ex omnibus cenſibus electi fuerint, dimidium, hoc eſt centum octaginta, ſorte ad annui ſenatus ordinem comprobetur. Sic vtique magiſtratuum creatio facta inter vnius & populi poteſtatem erit media. Quarum medium tenere ſemper oportet rempublicam. Serui enim & domini amici nunquam erunt. Ne probi & improbi, ſi æqualibus afficiantur honoribus. Inæqualibus enim æqualia inæqualia fiunt, niſi menſuram accipiant. Nam propter hæc vtraque ſeditionibus replentur reſpublicæ. Vetus enim priſcus ille ſermo, ab æqualitate amicitiam procreari, rectè admodum & concinnè fertur. quoniam verò non ſatis apertum eſt quænam ſit æqualitas qua id efficitur, idcircò nos valdè turbamur. Duæ quippe ſunt æqualitates eodem quidem nomine appellatæ, ſed effectu in multis penè contrariæ: & alteram omnis ciuitas legúmque lator ſorte diſponendo poteſt in diſtribuendis honoribus adhibere, eam dico quæ numero, pondere, & menſura eſt æqualis. Sed veriſſimam optimáque æqualitatem non facilè quiuis perſpiciet: Iouis enim iudicium eſt, & hominibus quidem pauca ſemper ſuggerit: quatenus autem ſuppetit, tam priuatis quam ciuitatibus bona omnia affert. Hæc ſanè maiori plura, minori pauciora tribuit, vtriſque videlicet ſecundum eorum naturam moderata. Atqui & honores virtute maioribus, ſemper maiores: minoribus autem virtute & diſciplina, minores: & vtriſque ſecundum rationem, quod decet, impertit. Ea enim certè nobis eſt ciuilis iuſtitia. hanc & nos appetere debemus: atque ad hanc ipſam, ô Clinia æqualitatem reſpicere, dum hanc nouam condimus & diſponimus ciuitatem. & quiſquis aliam inſtituit eodem debet in legibus ferendis aſpicere. Non autem ad paucos tyrannos, vel ad vnum, vel populi poteſtatem, ſed ad iuſtitiam ſemper inſpiciendum. Ea eſt quam modò diximus, æqualis ipſius ſecundum naturam quotidie inæqualibus diſtributio. Veruntamen neceſſe eſt, vt his duabus æqualitatibus in denominatione ſimilibus ciuitas vniuerſa vtatur, ſi tota velit procul ab omni ſeditione manere. Æquabilitas enim illa laudabilis, & æqua diiudicatio perfecti atque exacti, cùm præter rectum iudicium fit, violatur & frangitur. Ideóque æqualitate ſortis vti eam neceſſe eſt ad multorum indignationem penitus deuitandam. Qua in re Deum bonámque fortunam precibus inuocare oportet, vt ſors ad id quod eſt iuſtiſſimum dirigatur. Sic igitur neceſſariò vtriſque æqualitatibus vti debemus: ſed in rebus admodum pauciſſimis, ea æqualitate cui fortuna opus eſt. Hæc ita ob hanc cauſam, ô amici, neceſſe ab ea ciuitate, quæ

quæ ſalutem ſit conſecutura, ſeruari. Quemadmodū verò nauis in medio pelago, die noctéq; cuſtodibus ſemper indiget: ita quoq; ciuitas in medio aliarum ciuitatū fluctu poſita, variis ſubiecta ſeditionibus ac ſemper captiuitatis periculo proxima, perpetua eget cuſtodia. Propterea & die in noctē, & ex nocte in diem ſuccedere ſibi inuicem magiſtratus & cuſtodes oportet, vt tradentium ſuſcipiētiúmq; cuſtodiam ſucceſſio nūquam deſinat. Quorum nihil multitudo celeriter facere poteſt. Eſt autem neceſſarium, vt maxima ſenatorum pars plurimū tēpus permittatur in priuatarū ſuarúmque rerum adminiſtratione verſari: duodecima verò pars eius, in menſes duodecim diſtributione facta, alia poſt aliā ſigillatim cuſtodiat. Quæ vnicuiq; ſiue ciuitate ipſa, ſiue aliunde venienti parata ſit, ſeu nūciare quicquam, ſeu interrogare quiſpiam velit de his rebus, de quibus ciuitatem oporteat vel reſpondere cæteris ciuitatibus, vel ab eis interrogationum reſponſiones accipere: Nouarum etiam gratia molitionū quæ ſæpe fieri ſolent, maximè quidem ne fiant, ac ſi acciderint, vt quàm celerrimè ſentiat ciuitas, & remedium afferat. quod per cœtum ciuitati pręſidentium fieri ſemper oportet, vt & quæ legibus, & quæ ciuitati repentè difficultates accedunt, diſſoluātur Hæc omnia curet duodecima concilij pars, quietē in menſes vndecim habitura. Quam quidem cuſtodiam hæc concilij pars communiter cum aliis magiſtratibus in ciuitate ſemper agat oportet. Atque vrbana quidem probè hoc pacto ordinata erūt. Totius autē reliquæ regionis quæ cura, quis ordo? An cùm ciuitas tota, & vniuerſa regio in partes XII. ſit diuiſa, in ciuitate quidem ipſa viarum, habitationum, ædificationum, portuum, fori, fontium, ſacrorum locorum, templorum, cæterorúmq; huiuſmodi omnium conſtituere curatores oportet? CLIN. Cur non? ATHE. Dicamus igitur templis ædituos, & ſacerdotes tam viros quàm mulieres præfici oportere. Ad viarum autem ædificationúmq; exornandarum curam, ne aut homines niurientur, aut ipſæ feræ noceant, ſed vt tam in ipſo vrbis ambitu quàm in ſuburbiis, ciuitatibus conſentanea quęque gerātur, tres ſunt magiſtratuum ſpecies eligendæ.

Aediles.

Et rerum modò dictarum curatores, appellentur ædiles. Qui verò fori venditioníſque curam habebunt, rerum venalium curatores. Sacrorum autem,

Sacerdotes.

ſacerdotes. Et ſacerdotia quidem quæ à parentibus, per ſucceſſionem ſeu viris ſiue mulieribus tradita ſunt, nequaquam mouenda. Si verò aut nullis, aut paucis aliqua huiuſmodi ſunt, quod accidere par eſt illis qui in nouæ ciuitatis habitationem conueniunt, vbi hæc deſunt, ſacerdotes tam viri quàm mulieres & æditui conſtituendi ſunt. Quæ omnia partim electione partim ſorte fieri oportet. Atq; in omni regione ciuitatéq; plebs cū illis qui extra plebem ſunt, per amicitiā coniungenda, vt maxima ſit in omnibus his conſenſio. Et quæ ad ſacerdotum creationē attinent, deo committēda ſunt, vt quemadmodum illi placet, ita diuina fortuna cui tributum id ſit, ſortes ferat. In eorum autē qui ſortis ſuffragium aſſecuti ſunt, examinatione, ille eſt comprobandus, qui integer ſit, atq; legitimus, deinde à domo quàm maximè munda: expers quoque cędis, omniúmq; huiuſmodi, quæ aduerſus diuinam rem committuntur: cuius & pater materq; ſimiliter vixerint. Leges autem de rebus diuinis à Delphis petantur, cōſtituantúrq; illarum interpretes, atque his vtēdum. Sacerdotium non diuturnius ſit quàm annuum. Nec pauciores annos quàm ſexaginta natus ſit, qui ſecundum ſacras leges res diuinas ſufficienter eſt tractaturus. Eadémque de mulieribus ſacris, quæ & de viris ſtatuta intelligantur. Interpretes autem ter quatuor ferāt tribus ipſæ quatuor, ex earum ordine vnaquæq; tres: ac tribus probatis, qui maiori ſuffragio delecti ſunt, reliquos nouem Delphos mittāt, vt ex quaq; trinitate vnus auferatur. Comprobatio ipſorum ætáſque talis, qualis & ſacerdotum dicta eſt. Hi per totam vitam interpretandi & exponendi habeant poteſtatem. Et in defuncti vicem quatuor tribus inde alium eligant, vnde prior ille defecit. Quæſtores & aſſeruatores ſacrę pecuniæ in templis ſingulis, qui lucrorū agrorúmq; ipſis dedicatorum, & fructuum, conductionúmq; & locationum domini ſint, tres de maximis cenſibus pro templis maximis eligantur, duo pro minoribus, pro mediis maximéq; concinnis vnus. Qui non aliter quàm duces exercitus eligātur & comprobentur. Atq; hæc in rebus ſacris, vt diximus, peragātur. Danda verò opera eſt, vt quoad fieri poteſt, nihil ſine cuſtodia ſit. Ciuitatem quidem curent exercitus duces, ordinum præfecti, magiſtri equitum, tribuni, concilij principes, ædiles, atq; rerū venaliū curatores, poſtquam electi ſuo odine fuerint. Reliqua regio ita cuſtodiatur. Duodecim in partes, quoad fieri potuit, æquales, regio tota diuiſa fuit. Vna itaque tribus parti cuilibet ſorte data, quinq; in annū quaſi agrorū curatores tribuūq; principes deligat. quorum quiſq; ſua ex tribu duodecim iuuenes habeat, non minoris ętatis quàm quinque & viginti annorū, neq; maioris quàm triginta. his ſingulis ſingulæ regionis partes per ſortem mēſtruo tempore tribuantur, vt totius regionis omnes peritiā habeāt. biennio autem imperandi & cuſtodiēdi curam habeant principes & cuſtodes. Cùm primū partes cuſtodiendas ſortiti ſunt, per menſes ſingulos loca permutēt: ad proximū quēque locū, & ad dexteram primū circulariter cuſtodiæ principes ducant: dexteram verò plagam appello quæ ſolem orientē ſpectat. Deinde in altero anno ad ſiniſtram cōmutentur, ne regionis quo ad vnū anni tēpus ſolùm periti ſint, ſed & quid in quolibet tēpore in quacunque regionis parte contingat, agnoſcant. Tertio autem anno quinque alij agrorū & cuſtodiæ in principes à primatibus tribuum deligantur ipſorum duodecim curatores. Cura verò & opera ſingulis in locis talis ſit. Primum vt quàm maximè aduerſus hoſtiū impetum regio munita ſit. Foueis vbicunque opus ſit effoſſis turribúſque & clauſtris pro viribus circunductis, nocere volentes arceant. Ad hæc vtique facienda ſubiugalibus ſeruiſq; indigenis vtātur, quando minimè in ſuis operibus occupantur, nonnullos los ipſis præficientes loca omnia ita diſponant, vt per ea difficilè tranſire inimici poſſint, amici verò homines, pecudes, iugalia, facilè: quibus maximè peruia regio fiat. Diligentérq; procurent, vt pluuiales aquæ non ſolum regioni nō noceāt, verumetiam conferant ab altis montibus cauas in valles fluētes, vbi foueis parietibúſq; ſtagnare eas cogant, vt illic alueis pluuiales aquæ combibitæ, inferioribus locis agriſq; omnibus ſcatebras fontéſque aquarum efficiant, locáque iſto modo ſicciſſima humore multo ſalubriq; irrigēt. Fontes autem & fluuios arboribus ædificationibúſq; exornent. Lucos quinetiam iugi irrigatione, & dedicatos diis agros aquis immiſſis pingue

Quæſtores.

Fines regionis.

pinguefacere curent, & metallis humorem ſcatebráſq; adhibeant. Atq; ita & abundantia omnia, & templa deorum reddát ornatiora. Vbique autem in his gymnaſia iuuenes tam ſibi commoda quàm ſenibus præparent, calidis balneis conſtitutis, & copioſe ſiccis appoſitis lignis, vt & remedium ægrotantibus, & lenimen labore defeſſis agricolis beneuolè afferatur, quæ ſanè curatio longè melior eſt, quàm medici parũ periti medela. Hæc omnia cæteráq; huiuſmodi his locis ornaméto vtilitatiq; ſunt, grato quodã cum ludo. Summatim auté circa hæc

Aediles.

ſtudiũ huiuſmodi ſit. Sexaginta viri ſinguli aſcriptũ ſibi locum cuſtodiant, nõ hoſtium cauſa ſolùm, ſed eorum etiã qui ſe amicos dicunt. Et ſi quis inter vicinos ac ciues ſeu ſeruus ſiue liber alicui iniuriam inferat, iudicent in paruis quidem ipſi quinque principes: in maioribus autem decem & ſeptem viri vnà cum duodecim, vſq; ad minas tres de quocunq; alter de altero conqueritur. Nemo autem iudex magiſtratúſve ſit, qui geſti officij ſui rationi reddendæ non ſit obnoxius: præter eos qui regũ inſtar finé rebus imponũt. Atqui & agrorũ curatores, ſiquid aduerſus eos quorũ habent curã, cõtumelioſè gerant, inæqualiter onera inferétes, aut vi aliquid ab agricolis accipientes, aut adulatorum largitionibus, quibus iudicium corrumpatur: muneribus quidem adulationibúſq; capti, opprobrio per vniuerſam vrbem afficiantur: in aliis autem iniuriis vſque ad minam ſponte ſua vicinis coloniſque dent mulctam. Quod ſi nolunt in maioribus vel minoribus iniuriis quod debẽt, perſoluere, quia ſperent, cùm de loco ad locum per ſingulos méſes tranſeant, iudicium ac pœnam effugere, in cõmuni iudicio accuſentur, & qui damnabitur, duplum reddat ei quem iniuria oppreſſit. Viuant autem tam principes quàm cæteri curatores agrorum duos annos hoc pacto. Primùm quidem omnibus communia ſingulis in locis habeantur conuiuia: qui verò vno die noctéve aut abfuerit aut alibi ederit, cùm nec principes ita ordinarint, neq; neceſſitas vlla coegerit: ſi quinque viri eum damnent, ſcribántq; in foro deſeruiſſe cuſtodiá, magnis afficiatur opprobriis, vtpote qui quantum in ſe eſt, rempublicam prodidit. Et à quocunque obuiam facto, volentique cædere, impunè cædatur. Omnes auté ſexaginta viri obſeruent, ne de principibus aliquis quicquam tale committat: & qui ſenſit audiuitq; ſi non accuſauerit, ſimiliter eadémq; lege reus ſit, qua qui peccauit: ac acriori iuuenum cenſura punitus in omnibus iuuenum magiſtratibus contemnatur. Atq; hæc quidem omnia cuſtodes legum diligenter animaduertant: primò

Qui non ſeruiuit, non poteſt eſſe laudatus dominus

quidem ne fiant: deinde vt facta, prout ius poſtulat, puniantur. Exiſtimare de omnibus hominibus id quiſq; debet, quòd qui nunquam ſeruiuit, is laude dignus eſſe dominus nunquam poterit. Ideóque gloriari quemque oportet magis quòd bene ſeruierit, quàm quòd bene fuerit dominatus, primum quidem legibus, quibus qui ſeruiit, diis ſeruit: deinde ſenioribus qui honeſtè vixerunt. Poſtremò totum hoc biennium cuſtodes agrorum humilimum tenuiſſimúmq; victum vſurpent. Itaque duodecim viri cum quinq; illis cógregati inter ſe ſic conſultét quaſi ſerui, quiq; alios miniſtros & ſeruos non ſint habituri. Nam agricolis quidé coloniſq; non in proprio miniſterio, ſed in publico ſolũ vtantur. In cæteris ſic cogitent, vt ſeruientes ſibiipſis victuri: æſtate præterea atq; hyeme ſemper armati regioné omné perluſtraturi, vt cuſtodiant diligentius, dum loca omnia nouerint. Nulla quippe cognitione minor hæc eſſe videtur, qua exquiſitè ab omnibus regio vniuerſa cognoſcitur. Atq huius gratia non minus quàm voluptatis vtilitatiſq; alterius, adoleſcentes alendis canibus, & reliquæ venationi dare operam debẽt. Hos ipſos ſtudio etiam illo vti oportet, quod ab ocultando à nonnullis appellatur, ſed ſiue ſic, ſiue agri cuſtodia ſit nominãda, ſiue quomodocunq; aliter quiſquam velit, oportet vt qui ciuitatis ſuę ſalutẽ exoptẽt, in ea ſe re pro viribus diligenter exerceát. Sequitur vt de ædiliũ præfectorúmq; vrbis electione dicamus.

De ædilibus legendis.

Sexaginta illos curatores agrorum tres ſequuntur præfecti vrbi, tripertitò duodecim partes vrbis complexi, qui ſanè illos imitãtur: viarũ vrbis curam habẽt, vulgariũq; itinerũ, quæ à regione in vrbem tendunt: ædificationũ quoq; vt ſecundum leges omnes fiãt. Aquarum præterea, quas cuſtodes deduci in vrbem curãt, vt in fontes quàm liquidiſſimæ ſufficientéſq; ducantur, ac ciuitatem iuuent pariter exornent. Oportet hos eſſe tales, vt intermiſſa ſuorum cura, otium habeant ad publica procuranda. Quapropter quiſque à maximo cenſu quem velit præfectũ futurũ nominet. Et de ſex qui ſuffragio cæteros ſuperabunt, tres ſorte deligãt quibus curæ hæc ſint. Deniq; cõprobati, magiſtratum ſecundum præſcriptas ſibi leges peragant. Ædiles deinceps, rerum vænalium curatores, à primo ſecũdóq; cenſu quinque deligantur. Eorúmque electio eodem fermè modo quo præfectorũ vrbi tranſigatur. Quippe de decem, qui cęteros ſuffragio ſuperarint, quinq; ſorte deſignentur, & comprobati, magiſtratus declarentur. Nominet autem quẽlibet vnuſquiſq;. Qui auté nollet, ſi ad principes accuſabitur, drachmis quinquaginta dãnetur, atque etiã iniquus exiſtimetur. Comitia cõmunémque cœtũ quicũq; velit ingrediatur: atque ad id primi ſecundiq; cẽſus omnes cogantur. Porrò qui de his abfuerit, decem dãnetur drachmis. Tertij verò quartiq; cenſus homines non cogãtur. Idcircò qui nõ interfuit, indénis ſit. niſi fortè principes vrgente quadam neceſſitate, adeſſe omnibus eduxerint. Eſt auté ædilium officiũ, fori ordiné legibus ſtatutum ſeruare. Fontium quoque & templorum quæ in eo loco ſunt, curam habere, vt ne quis illic iniurioſe quicquam agat, & ſi fecerit ſeruus quidem & peregrinus verberibus & vinculis pœnas luat. Ciuis autem ab illis drachmis centum condemnetur. Maiori verò mulcta vſque ad huius duplam iſti, niſi præfecti vrbi quoque adſint, condemnare non poſſint. Eadem quoq; præfectis vrbi in proprio magiſtratu mulctandi & puniendi conditio ſit. Nam vſque ad minã condẽnandi ipſi habeant poteſtatem. Ad duplam verò mulctam cẽſorum ſimul autoritas requiratur. Poſt hæc muſicæ & gymnaſticæ magiſtratus duplices vtriuſque facultatis cõſtituãtur: alij diſciplinæ, alij exercitationis cauſa.

Doctores

Qui diſciplinæ præſunt, gymnaſiorum doctrinarúmque ornatu & diſcendi ordinem curẽt: operámque dẽt vt tam mares quàm fœminæ in adoleſcentia honeſtè ad iſta proficiſcantur: honeſtè etiam cõmorentur. Exercitationis curam habeãt in gymnaſtica, & muſica ipſi qui munera imponunt atque declarant athletis, ipſis ſcilicet certatoribus. Atque hi ſimiliter duplices eſſe debent: circa muſicam alij, alij circa gymnaſticam. & in gymnaſtica quidam iidem pariter in hominum equorúmue certaminibus: in muſica verò alij in

mono

monodia, id eſt cantu & oratione funebri, & imitatione ipſa ſicut rhapſodorum, eorũ ſcilicet qui decantatorium componunt carmẽ, citharistarum, tibicinum, cæterorúmq; talium: alij in chori cantu. Primum igitur in chori ludo, vbi viri, pueri, & puellæ tripudio cæteriſque muſicæ modis exercentur, principes eligẽdi. Vnus autem illi ſufficit princeps, nõ pauciores quam quadraginta annos natus. Vnũ quoq; in monodia ſufficere arbitramur, qui triginta annos expleuerit, qui & introducat homines in certamen: & de iiſdem ſufficienter cognoſcat & iudicet. At verò principem ordinatorémq; chori, ſic oportet eligere. Qui huic rei vocant, in concilium proficiſcãtur, mulcta impoſita, niſi acceſſerint: huius rei legum cuſtodes iudices ſint: cæteros ſi nolint, nemo cogat. Deſinent etiam qui periti ſunt, vnáque hæc aſtipulatio ceu calculum adiiciẽs, ſiue minus, valeat vt peritus vel imperitus ſit, qui deſignatur. Qui verò ex deſignatis decem, cæteros ſuffragio ſuperauerit, & deinde comprobatus fuerit, vnus annuo tempore choro ſecundum legem præſit. Similiter etiam in monodia & tibicinio deſignatio fiat, electióque & comprobatio, & qui aſſecutus fuerit, eodem modo à iudicibus comfirmatus, anno præſit. Deinceps autores declaratoréſq; munerum in exercitatione gymnaſtica tam equorum quàm hominum, à ſecundo tertióque cẽſu ita conſtituantur. Comitia ingredi trium cẽſuum homines compellantur, minimus autem cenſus liber ſit. Et de viginti qui præ cæteris ſuffragio deſignati fuerint, tres ante alios ſorte electi, principes declarentur, quos comprobantium ſuffragium confirmauerit. In cuiuſcunq; autem magiſtratus ſorte atque iudicio ſiquis reprobatus & repulſus fuerit, alius loco eius eodem ordine deſignetur & comprobetur. Reſtat princeps, qui totius diſciplinæ in his quæ narrauimus tam fœminarum quàm marium curã habeat. Vnum quoq; hunc ſecundum leges principem eſſe volumus non pauciores natum annos quàm quinquaginta, qui legitimos habeat filios vtriuſque ſexus maximè: ſi verò minus, alterius. Cogitare debet & qui elegit & qui eligitur, hunc magiſtratum omnium in ciuitate ſummorum magiſtratuum eſſe admodum præſtantiſſimum. In omnibus quippe viuentibus prima ipſa germina ſi aptè cœperint ad naturæ ſuæ virtutem, vim habent ſummam ad finem ſibi debitum imponendum. Quod & in plantis euenit, & in brutis tum ſylueſtribus tum etiam manſuetis, & in hominibus. Hominem autem manſuetum animal eſſe dicimus. Porrò ſi cum natura felici rectam quoq; diſciplinam fuerit aſſecutus, in diuiniſſimum manſuetiſſimumq; animal ſolet euadere: ſi verò non ſatis aut non bene fuerit educatus, ferociſſimum omnium quæ in terris naſcuntur animal redditur. Quamobrem non debet legum conditor rem ſummopere neceſſariam pueritiæ educationem poſtponere, ſed operã dare in primis, ſi rem hanc diligenter eſt curaturus, vt omniũ ciuium ad officia quæque optimus vir eligatur, qui quàm maximè pro viribus, educandis pueris præponatur. Omnes igitur magiſtratus præter ſenatum & quæſtores in Apollinis templum profecti, ſuffragium clam legum cuſtodibus ineant, deligentes ſinguli quem optimè puerorum diſciplinæ exiſtimant præfuturum: & qui ſuffragio ſuperabit, à magiſtratibus qui delegerunt, exceptis videlicet legum cuſtodibus, comprobatus, quinquennium præſit. Et in ſexto anno alius princeps ſimiliter ſtatuatur. Si quis autem in magiſtratu publico conſtitutus pluribus quàm triginta diebus antequam munus ſuum peragat, è vita deceſſerit, illi quibus id curæ eſt, aliũ ſimiliter eligant.

Tutores.

Sin autem orphanorũ tutor mortem obierit, cognati atq; affines ex vtriſque parentibus vſq; ad cõſobrinos & patrueles, qui præſentes ſunt, alium intra dies decem conſtituant: alioquin drachma quotidie mulctentur ſinguli, quouſq; orphanis tutorem præficiant. Sed nulla ciuitas reuera ciuitas erit, niſi debito ordine iudicia fuerint conſtituta.

Iudiciorum & fori ratio. Iudex.

Iudex autem mutus, qui nec inſtar arbitri aliquid plus quàm litigantes dixerit, in cauſis diſcutiendis, nunquam ad ius declarandum ſufficiens erit. Quapropter nec ſi multi ſint, facilè vnquam bene iudicant, nec ſi pauci & ignaui. Oportet autem ſemper, vt quod quæritur ab vtriſque declaretur. Tempus autem & mora, frequénſq; inquiſitio, ad aperiendam controuerſiam conferunt.

Arbitri.

Idcircò qui litigant, ad vicinos primùm & amicos, & maximè rei de qua quæritur conſcios ſe conuertant. Quod ſi per eos non ſufficienter fuerit iudicatum, ad aliud iudicium proficiſcantur. Tertium verò, ſi per duo ſuperiora recõciliati nõ fuerint, finem imponat. Profectò iudiciorũ conſtitutiones quodam modo magiſtratuũ electiones ſunt. Omnem nanq; magiſtratum neceſſe eſt quorundã etiam eſſe iudicem. Non tamen iudex omnis neceſſariò eſt magiſtratus & princeps: quãquam iudex ea die qua iudicium peragit, quodãmodo magiſtratus eſt nõ vilis. Igitur quaſi iudices ipſi magiſtratus aliqui ſint, de his iã qui quarúmq; rerũ & quot in vnaquaq; re eſſe debeãt, diſſeramus. Auguſtiſſimũ certè iudiciũ ſit quod ſibimet aliqui præfecerunt, cõmuni conſenſu iudices eligentes. reliquarũ rerũ iudicia duo ſint.

Prætori.

Alterũ quãdo priuatus iniuriã à priuato pati cõqueritur, eúmq; in iudiciũ trahit. Alterũ quãdo reipublicæ iniuriam à ciuium aliquo fieri arbitratus aliquis cõmunibus rebus auxiliari conatur. Dicendum eſt igitur, quos & quales iudices eſſe oporteat. Primũ iudiciũ cõmune omnibus priuatis qui tertio inter ſe litigent, ita fiat, Omnis magiſtratus tam annui quàm maioris tẽporis pridie calendas menſis illius, quo poſt æſtiuum ſolſtitiũ nouus incipit annus, in templũ vnũ conueniant. Vbi iureiurando interpoſito ex ſingulis magiſtratibus veluti quaſdam deo primitias offerentes, vnũ iudicem deligãt, qui optimus eſſe, & optimè atq; ſanctiſſimè iudicia illo anno redditurus ciuibus videatur. Ac poſtquã iudices deſignati ſunt, ab eiſdẽ qui deſignarunt, ſinguli comprobentur. Et ſiquis reprobatus fuerit, alius ſimiliter eligatur. Comprobati, illis qui per præcedentia recõciliati nõ ſunt, iudicia reddant, & apertè ſuffragium ferãt, audientibus ſpectantibúſq; neceſſariò conſultoribus, reliquiſq; magiſtratibus qui eos declarauerunt. De cæteris autem interſit pro arbitrio quiſque. Quod ſiquis aliquem iniuſtam ſponte ſententiam tuliſſe incuſet, apud legũ cuſtodes hoc faciat. Et qui dãnatus fuerit, dimidiam damni partem iniuriam paſſo perſoluat. Si autem mulcta dignus maiore videatur, iudices ipſi, qui condemnarunt, quid aut pati aut reddere debet vel reipublicæ vel iniuriam paſſo, cognoſcant. In publicis autem accuſationibus neceſſe eſt in primis multitudinem iudicij participem facere. Nam quando aduerſus ciuitatem peccatur, omnibus infertur iniuria. Ideóque meritò grauiter patiuntur, niſi ad iudicandum ipſi

etiam

etiam admittantur. Sed & principium iudicij huius & finis deferri ad populum debet, examen autem & approbatio ad tres maximos magiſtratus, de quibus cōueniant litigantes, ac ſi conuenire nequeant, concilium ipſum electionem vtriuſque cognoſcat, & iudicet. Oportet præterea priuatorum iudiciorũ omnes pro viribus participes eſſe. Nã qui a iudicandi poteſtate omnino repellitur, is à ciuitate ſe prorſus exiſtimat alienum. His de cauſis per ipſas quoq; tribus neceſſe eſt iudicia fieri, iudicéſque ſorte ſtatim incorruptos precibus iudicare. Et demum iudicium illud cuncta definiat, quod intemeratum omnino quoad humanis in rebus fieri poteſt, eſſe debere diximus ad eas lites determinãdas, quæ nec per vicinos, neque per contribules dirimi potuerũt. Verùm de iudiciis, quæ magiſtratus eſſe nec affirmare, nec negare facilè ſine controuerſia quiſquam poterit, hæc quaſi exterius circunducta deſcriptio nonnulla cōplexa eſt, nonnulla etiam reliquiſſe videtur. Nam iudicialium legum exacta poſitio atque partitio longè rectius in calce ferendarum legum locabitur. Quare ad idem tempus has differamus. Cæteri autẽ magiſtratus maxima iam ex parte diſpoſiti ſunt. Tota verò atque accurata ciuilium diſpenſatio, ſiue ad vnum, ſiue ad omnes pertineat, non antea liquidò declarari poterit, quàm tractatio ipſa principia & ſequentia, media omnéſque partes ſuas complexa, ad exitum vſq; peruenerit: quæ quidem in pręſentia vſq; ad magiſtratuum creationem progreſſa, vt antecedentium finis ſufficiẽs eſt, ita ferendarum legũ principium, nec moram aut ſegnitiem amplius patitur. CLIN. Quamuis ſuperiora omnia ex animo meo dixeris, hoſpes, multo tamen gratius in præſentia mihi id contigit, quòd cum dictorum exitu, dicendorum initium iunxiſti. ATHE. Bellè igitur prudens ſeniorum ludus hucuſq; nobis ſit perluſus. CLIN. Pulchrum ſanè ſtudium virorum ſignificare videris. ATHE. Conſentaneum eſt. Verùm animaduertamus, ſi hoc tibi quoque vt mihi videtur. CLIN. Quódnam? & quibus de rebus? ATH. An neſcis idem in hac re quod in pictorum facultate cōtingere? Illa quippe nullum in pingendis animalibus terminum habere videtur, ſed ſemper inumbrando, & deumbrando, vel quomodocunque aliter à pictoribus id vocetur, exornare conatur, nec ceſſat vnquam. Non enim poteſt fieri, vt ad pulchriora expreſſioráq; incrementum non habeatur. CLIN. Intelligo fermè audiens quæ dicis. Nullum alioqui huius artis vſum habeo. ATHE. Nihil tibi id obfuit. Sed hac fortè nobis oblata ſimilitudine ſic vtamur. Si quis pulcherrimum animal pingere voluerit, quod non ad peius, ſed ad melius futuro ſemper tempore progrediatur, nónne vides cùm mortalis ſit, niſi aliquem artis ſucceſſorem reliquerit, qui ſiquid vel tempore ex animali abolitum fuerit, inſtaurare, vel per imbecillitatem artis ab artifice prætermiſſum adiicere poſſit, atq; ita fulgentius in dies animal reddere, laborioſum illud opus pauco tempore duraturum? CLINI. Prorſus. ATHEN. An non legiſlatoris voluntas hæc tibi eſſe videtur? Principio quidem vt leges ſibi ſufficienter & exquiſitè pro viribus conſcribantur: deinde procedente tempore, & periculo rerum facto, putáſne ſic amentem legiſlatorem aliquem eſſe, vt ignoret neceſſarium eſſe talia ſibi multa relinqui, quæ emẽdatione ſucceſſoris alicuius indigeant, ne peior quidem, ſed melior reſpublica ſemper ornatiórque efficiatur? CLIN. Probabile eſt. Nam quomodo nolle id poterit? ATHE. Quacunque igitur via poterit, tam re quàm verbis alium ſiue maiorem, ſiue minorem docere quomodo conſeruandæ & corrigendæ leges ſunt, nequaquam in his dicendis defatigabitur, priuſquam ad finẽ perduxerit. CLIN. Ita certè. ATHEN. Nónne id mihi & vobis in præſentia faciundum? CLIN. Quid ais? ATHE. Quoniam leges laturi ſumus, & legum cuſtodes creati ſunt, nos autem ad occaſum vitæ appropinquamus, & cuſtodes iſti nobis iuniores ſunt, oportet nos, vt diximus, leges ferre ſimul atque hos tam legumlatores quàm cuſtodes quoad poſſumus facere. CLI. Quidni? dummodò id ſatis facere poſſimus. ATHE. Veruntamen impenſius annitamur. CLIN. Nihil prohibet. ATHE. Sic ergo ad eos dicamus: O amici legum conſeruatores, permulta in ſingulis nos qui leges poſuimus, neceſſariò relinquemus. CLI. Neceſſe equidẽ. ATHE. Quę tamen nõ parua erunt, imò & rem omnẽ pro viribus exteriore quadã circunſcriptione ſignificabimus, quam quidem implere à vobis oportebit. Quò verò id facturis vobis reſpiciẽdũ eſt, audite. Megillus, egóq; & Clinias hæc inter nos ſæpenumero diximus, & probè nos dixiſſe cōuenimus. Vóſq; rogamus vt & indulgere nobis, & diſcipulos præſtare velitis, ad ea ipſa reſpicientes, ad quæ legũ cuſtodi & latori reſpiciendũ concorditer nos cōſenſimus. huius cōſenſionis vnum eſt caput, vt homo bonus efficiatur, habens virtutẽ animi hominis propriã, ſtudio aliquo partam, aut vſu, aut certa quadã adeptione, vel cupiditate, vel opinione, vel aliquo genere doctrinarum, ſeu maſculus ſit, ſiue fœmina, ſiue iuuenis, ſeu ſenex. Atq; ad hoc ipſum quod dicimus quiſq; per totam vitã omni ſtudio tendat, cætera quę impedimento huic rei ſunt, negligens.

Pro p[illegible]

Pro patria præterea, ſi neceſſe eſt, mori paratus ſit, antequàm velit aut euerſam videre ciuitatem, iugóq; ſeruitutis ſubiectã à peioribus gubernari, aut fuga ipſam deſerere. Quippe extrema omnia ſubeunda ſunt potius, quàm in eam gubernationem ciuitas commutanda, quæ peiores ſolet homines facere. In his iampridem nos conſenſimus, & nunc vos ad hæc vtraq; reſpicientes, laudate leges & vituperate. Eas inquam vituperate, quæ hæc aſſequi minimè poſſunt, eas quæ poſſunt, amate: libentérque illas amplexi, in ipſis vitam agite. Cætera verò ſtudia quæ alio tendunt, & ad vulgaria bona reſpiciunt, ſpernite. Sed initium ſequentium legum, hoc nobis ſit à ſacris exorſum. Oportet primum repetere, quod numerus quinque millium & quadraginta partitiones commodas habuit, atque habet, tum totus ipſe numerus, tum qui per tribus ipſas porrigitur, quem totius partem duodecimam poſuimus, vnam & viginti vigeſies rectiſſimè natam. Atque vt totus numerus duodecim conſtat partibus, ita tribus ipſa in duodecim ſcinditur. Proinde de vna quaq; parte ipſam ſacram eſſe dei munus exiſtimare debemus, cùm & menſes & circuitum vniuerſi ſequatur. Quapropter & ciuitatem omnem ducit, quod ipſis innatum eſt, ipſáſque ſacras facit. Alij forſan rectius quàm alij partiti ſunt, ac diis partitiones ſuas felicius dedicarunt. Nos autem nunc rectiſſimè arbitramur quinque millium & quadraginta numerum elegiſſe, qui omnes ab vna vſque ad duodecim deciſiones habet, vndecimo numero ſolùm excepto, qui minimo quodam remedio redintegratur. Reſtituitur enim, ſi

duæ ad alteram partẽ domus acceſſerint. Hæc vera eſſe, ſermo nequaquam prolixus in otio demonſtraret. Credentes igitur præſenti ſermoni & rationi, eam diſtribuamus, & vnicuiq; parti Deum vel deorum filiũ inuocantes, aris cæteriſq; huiuſmodi dedicatis, in ſacrificiis conuentus duos ſingulis menſibus faciamus, vt duodecim ſingularũ tribuum, & duodecim ciuitatis diſtributioni accommodentur. Hæc deorum primò diuinorúmq; colẽdorum gratia ita fiant: deinde amicitiæ quoque & cognitionis mutuæ, & cōmunis denique conſuetudinis gratia, quæ ad matrimonia cōficienda ſummopere neceſſaria eſt: vt ſublata ignorantia, nemo in his quoad fieri poteſt decipiatur: ſed quiſque cui collocat, & quam & à quibus ducit, agnoſcat. Neceſſariè admodum huius rei gratia, ludi etiã choríq; puerorum & puellarũ ſimul fieri debẽt, nudatis corporibus quatenus modeſtus pudor patiatur, vt cũ ratione in ętate cōuenienti, conſpiciant alterutrum atq; conſpiciantur. Quæ quidẽ omnia curent, ornentq; choriprincipes, & cum legum cuſtodibus conditores, vt à nobis relicta ſuppleant. Neceſſe nanque, vt diximus, in his præſertim quæ multa paruáq; ſunt, nonnulla in prima poſitione legũ prætermitti, quæ magiſtratus ſequentes vſu rerum commoniti, quotannis mouebunt & corrigent, donec tẽpus illud aduenerit, quo inſtituta hæc diſcuſſa & approbata ſufficienter fuiſſe videantur. Tempus autem ad hoc periculum faciundum, moderatũ & ſufficiens decennium erit, quoad ſacra & choreas, ad omnia deniq; atq; ſingula. Quæ quidem per experientiã emendatio, viuente legumlatore, cōmuniter cum illo fiat. Si deceſſerit, ſinguli magiſtratus ad legum cuſtodes de ſui magiſtratus defectu referãt, emendéntq; donec approbationis finem ſuũ nacta ſingula videantur. Tunc demum ratas has leges habeant, eiſq; vnà cum aliis quas ab initio legiſlator conſcripſit vtantur. In quibus nihil vnquam ſponte mouebunt. Si qua verò neceſſitas aliquando vrgere videbitur, de hoc vnà conſultent magiſtratus omnes, & populus vniuerſus, & omnia deorum petãtur oracula. Si horum omnium vnus erit conſenſus, moueant: aliter verò nunquã, ſed vnus qui prohibet, vincat ſecundum legem. Quãdocunq; igitur aliquis quinque & viginti annos iam natus, alios aſpiciens, ab aliiſque aſpectus, adinueniſſe ſibi credit cōuenientẽ animo ſuo, atque decentẽ ſocietatem ad cōmunionem generationémque liberorũ, intra quinque & triginta ætatis annos vxorem ducat. Quo autẽ pacto decorum illud & aptum quærendũ ſit, in primis audiat. Oportet enim, vt ait Clinias, ante leges propriũ ſingulis exordiũ ponere. CLI. Opportunè meminiſti hoſpes, tempúſque cōmodũ orationi cepiſti. ATH.

Quæ nuptiæ ſint contrahendæ.

Probè loqueris. Dicamus itaq. ſic: O fili, qui ex bonis parentibus ortus eſt, eas nuptias contrahere debet, quas prudentes viri honeſtas ducunt. Qui ſanè moneret, nec pauperum fugere, neque diuitum affinitatẽ ſectari præcipuè oportere: ſed cæteris paribus pauperiorem ſemper honorare, cúmque ipſo ſocietatem inire. Nam & ciuitati & familiis quæ iunguntur, id conducit. Quippe quod moderatũ eſt & mediocre, immoderato & excedente mirum in modum ad virtutem præſtat. Ergo quicunque ferocioris velocioriſque quàm oportet ad agendum animi ſibi cōſcius eſt, is det operã oportet, vt quàm quietiſſimorum parentũ filiam ducat: & qui contrà natura affectus eſt, contrariã ſibi aſciſcat affinitatem. Sed vna tandem ſit communis ratio nuptiarum, vt quiſque non iucundiſſimum ſibi, ſed ciuitati vtile ineat matrimonium. Etenim ſinguli ſemper ad ſibi ſimilimũ natura feruntur. Vnde ciuitas tota & diuitiis & morib. inæqualis quàm maximè redditur, ex quibus quę minimè nobis euenire vellemus, maximè ciuitatibus plurimis accidunt. Sed ſi hæc per rationem lege ſanciremus, ne diues diuitis, aut potens potentis ſocietatem admittat, cogeremúſq; velociores animo cum tardioribus, & tardiores contrà cum velocioribus copulari, non modò ridicula noſtra oratio videretur, ſed & iram permultis concitaret. Non enim intellectu facile eſt, quòd ciuitas ſimilis eſſe debeat pateræ, in qua merum quod primò infuſum bullit, ſtatim alterius dei ſobrietate caſtigatum, atque optimè temperatum, bonus & moderatus potus efficitur. Quemadmodum verò id in mixta filiorũ procreatione fiat, nemo, vt breuiter dicam, poteſt conſpicere. Quamobrẽ non lege cogendi, ſed perſuaſione inducendi ciues, vt æqualem temperatámq; liberorum ſuorũ generationẽ pluris faciant, quam opulentiſſimæ affinitatis æqualitatẽ: Et eum qui in connubio pecuniis inhiat, non lege ſcripta arcere debemus, ſed opprobriis & increpationibus abſterrere. Ad nuptias igitur vt decet celebrandas & hæc exhortãtur, & illa quæ in ſuperioribus diximus, aſſerentes oportere filiorũ filios relinquendo, noſtros videlicet in diuino miniſterio ſucceſſores, naturam aſſequi ſempiternã. Hæc omnia atq; etiam plura quis de nuptiis incundis exordiendo rectè diceret.

Quantâ pœna mulctetur qui ducere vxorem refugit.

Si quis autem ſponte non pareat, & alienus ab hoc conſortio viuat in ciuitate, & ſine connubio quinq; & triginta egerit annos, ſingulis annis, ſi de maximo cenſu eſt, drachmis centum mulctetur: ſi de ſecundo, ſeptuaginta: ſi de tertio, ſexaginta: ſi de quarto, triginta. Quæ quidẽ pecunia deæ Iunoni conſecranda eſt. Si quis autem ſingulis annis non perſoluerit, decuplũ debeat. Cuius pecuniæ exactor ſit deæ ipſius quæſtor: ac niſi exegerit, ipſe debeat, atq; huius rationem referre quiſq; debeat. Sed pecuniis quidem qui nolit vxorem ducere, ita mulctetur, honore autem ſic: Primùm honores nullos à iunioribus conſequatur, nec iuuenum vllus aliqua in re ſponte ipſi obtemperet. Deinde ſi aliquẽ cædere auſus fuerit, quilibet aduerſus ipſum inſurgat, & ei auxilium ferat, qui accepit iniuriam. Si quis autem pręſens hoc non fecerit, timidus maluſq; ciuis à legibus habeatur.

De dotibus.

De dote verò dictum eſt prius & modò rurſus dicatur, æqualia pro æqualibus eſſe, ſiquidẽ neq; qui acceperit, neq; qui dederit, pecuniatũ inopia conſeneſcet. Neceſſaria enim in hac ciuitate abundè omnibus ſunt. Mulieribus præterea cōtumelioſus faſtus minor erit. Minor & viris humilis illiberaliſque ſeruitus. Qui paruerit, vnum ſanè hoc aget præclarè. Qui verò non paruerit, ſed aut dederit aut acceperit quod quinquaginta drachmas excedat veſtimenti gratia, alius minã: alius tres ſemiminas, alius minas duas, & qui cenſum habet ſupremum tantundem rurſus perſoluat ærario, & quicquid datum fuerit vel acceptum, Ioui atque Iunoni cōſecretur. Huius pecuniæ exactores eſſe volumus horum deorum quæſtores, quemadmodum modò dictum fuit, cùm de his qui nuptias fugiũt, loqueremur, quod ab eis debetur, eſſe à Iunonis quæſtoribus exigendum. Qui ſi neglexerint, de ſuo perſoluant. Fideiuſſio autem primũ patris firmiſſima ſit, aui deinde, tertia fratrũ ex eodẽ

patre natorum. Si nullus iſtorum ſuperſtes ſit, nunc ex parte matris ſimiliter fideiuſſio valeat. Si autem inſolita contigerit deſolatio, propinquiores agnati atq; gentiles vnà cum tutoribus fideiubeant. Si qua verò ſacra initiatio, aut diuina alia expiatio ad futura vel præterita vel præſentia in nuptiis agenda videatur, diuinorum interpretes conſulát, puténtq; ſi illis paruerint, moderatè ſingura peregiſſe.

Cōuiuiū nuptiale.

Ad nuptiale verò conuiuiú nó plures quàm quinque amici & amicæ quinque ex latere paterno vocentur: ex cognatis & propinquis totidem. Impéſa non maior quàm ſecundú diuitias fiat. Ditiſſimus miná expendat, alius ſemisminá, deincépſq; proportione ſeruata, quo decreſcit céſus, decreſcat ſimiliter & impéſa. Qui legi paret, laudetur ab omnibus. Sed eú qui non obtemperat, damnet cuſtodes legum, táquam à decoro alienum, legiſque ſpóſaliú Muſarú prorſus ignarú. Bibere ad ebrietaté vſque, neq; alibi vnquá decet, præterquá in ſolennitatibus eius dei qui largitus eſt vinum, nec tutum eſt. maximè verò cónubio coniuncti ſponſus & ſponſa tunc mentis cópotes eſſe debent, quando non paruá ineunt vitæ mutationé, præſertim vt ex quam maximè moderatis ſemper generatio fiat. Fermè enim incertú eſt, quæ nox aut dies cum deo ipſam peragat. Quare vt ſolidus, ſtabilis, & quietus conceptus fiat, nó oportet corporibus ebrietate diffuſis, dare operam liberis.

Ebrietas vitanda.

Qui auté vino refertus eſt, tam amicæ quàm corporis rabie concitatus, quóuis & trahit & trahitur. Idcircò ebrius tanquam mente captus, ad ſerédum eſt inutilis. Népe veriſimile eſt eum fœtus inæquales, inſtabiles, obliquos tam membris quàm moribus procreare. Quamobrem per totam quidem vitam, & maximè quamdiu generationi vacat, abſtinebit quiſq;, cauebitque ne faciat, vel quę ſuapte natura & ſponte morbos inducunt, vel quæ ad petulantiá iniuriámq; declinant. Hæc enim inanimos & corpora naſcentium neceſſariò tranſlata illic imprimuntur, perioréſque inde naſcuntur. Sed pręcipuè die illo ac nocte à talibus abſtinendú. Principiú nanque & numen hominibus inſitum, ſi cóuenienti ſibi a ſingulis munere ipſius utentibus honore afficiatur, omnia ſeruat. Oportet auté alterá ex duabus domibus quę ſorte cótigerunt, à parentibus ſeparatá quaſi ad pullorum generationem educationémq;, ſpóſum exiſtimare, atq; ibi nuptias celebrare, vbi ſit cú liberis ſuis habitaturus. Nam ſi quoddam in amicitiis deſideriú ineſt, mores omnes quaſi glutino quodá connectit & vincit. Conſuetudo auté ſatura, nec vllum habens per intermiſſioné temporis deſiderium, alterum ab altero ſatietate diſiungit. Quapropter parétibus vtriſque affinibúſq; relictis, ſeorſum quaſi ad coloniá proficiſcantur, ac viciſſim ſeipſos viſitantes habitent, liberos generando, & educando: & vitam quam ab aliis acceperút à ſe quaſi lampada aliis tradant, deos ſemper ſecundum leges colentes. Poſt hæc conſiderandum eſt, quarú rerú maximè honeſta poſſeſſio ſit. In plurimis quidem ſeu cognoſcendis ſiue cóparandis & poſſidendis, nulla eſt difficultas.

De ſeruis.

In ſeruis autem id omnino difficile: Cauſam verò, & rectè quodámodo & non rectè rurſus de ipſis dicimus. Nam & cótra vſum, & iterum ſecundum vſum facimus ea quæ de ſeruis dicútur. MEG. Quo pacto id dicimus? Non enim intelligimus hoſpes, quid modò dicere velis. ATH. Non iniuria, ô Megillo. Fermè enim illa Lacædemoniorum ſeruitus, quam Hilotiam vocatis, præ cæteris Græcis maximam dubitationem & cótentionem facit, cùm aliis bene, aliis contrà inſtituta videatur: Heraclidarum verò minorem quàm Mariandynorum diſputationem habet: poſtremò ſeruilis apud Theſſalos turba eſt. Hæc vtique & huiuſmodi omnia reſpicientibus, quid de ſeruorú poſſeſſione agendum eſt? Hoc certè mihi nunc excidit, & tu meritò me interrogaſti quid dicerem. Hoc autem huiuſmodi eſt. Scimus profectò, quod fatemur omnes, ſeruos quàm beneuolentiſſimos atque optim s habendos eſſe. Multi enim iam ſerui quibuſdam meliores ad virtutem omné quam fratres & filij, dominos eorum, bona & domos vniuerſas ſeruarunt. Hæc de ſeruis prædicari non ignoramus. MEG. Certè. ATH. Contrà etiam dicitur, nihil in animo ſeruiéte integrum ineſſe, nec quicquam ſeruorum generi eſſe credendum. Quod & ſapiétiſſimus poetarum teſtatur nobis, cùm de Ioue ſic loquitur: Dimidium mentis Iupiter illis aufert, qui ſeruitutis ſorti ſubiecti ſunt.

Odiſſ.

Hæc itaq; adeò diuerſa de ſeruis homines cogitantes, alij nihil generi ſeruorum credunt, ſed ſtimulis atque verberibus quaſi ferarum naturam, non ter tantùm, ſed ſæpius miniſtrorú animos ſeruiles efficiunt. Alij contrà omnino faciunt. CLINI. Ita eſt. Sed cùm tam diuerſa de ſeruis homines ſentiant, quid nobis hoſpes hac in noſtra regione de poſſeſſione caſtigationeq; ſeruorú eſt agendum? ATHE. Perſpicuum mihi videtur, ô Clinia, quando difficilè domatur homo, & ad neceſſariam diſtinctioné ſerui à libero & domino re ipſa deduci ægrè patitur, difficilem poſſeſſioné hominem eſſe. Quod exemplo in crebris Meſſeniorum rebellionibus paruit. Ciuitates pręterea quæ multos eiuſdem linguæ ſeruos habent, planum fecerunt, quot quantáq; hinc mala ſequantur. Piratarum quoq; furta & latrocinia, quæ maximè circa Italiá abundabat, hinc oriútur. Quæ omnia ſiquis animaduertat, quid de his faciendum ſit, dubitabit. Duæ igitur ſolummodo reſtant viæ, vt qui facilè ſeruituri ſunt, nec eiuſdem patriæ ſint, & quàm maximè fieri poſſit inter ſe diſſoni. Educentúrq; rectè, non ſolùm ipſorum gratia, ſed dominorum multò magis. Eſt autem recta horum educatio, vt nulla ipſis contumelia inferatur, iniuriaq; his multò minus, ſi fieri poſſit, quàm æqualibus inferenda. Liquidò enim cognoſcitur qui natura nó fictè iuſtitiam colit, oditq; reuera iniquitatem, quum cauet ne iis iniuriá faciat, quibus facilè poteſt. Qui ergo circa mores actionéſq; ſeruorum nihil vnquam facit impiè, nihil iniquè, atq; ita in his ſe ſeruat immaculatú, ad producendas virtutis fruges erit aptiſſimus. Idem quoq; de domino, & tyránno, omniq; potétiore aduerſus imbecilliores rectè dici poteſt. Caſtigandi cædendíq; ſemper iure ſunt ſerui, neq; ita monendi vt liberi, ne molliores fiant. Alloquutio omnis ad ſeruos quodammodo imperium ſit, neq; iocus vllus cum ipſis ſeu fœminis ſiue maſculis habeatur. Quod multi ſtultè facientes, dú delicatius eos nutriunt, difficiliorem vitam & ſibi ad imperandum, & illis ad obediendum reddunt. CLIN. Rectè loqueris. ATHE. Hoc igitur pacto ſeruos quiſque & numero & facultate ad ſingula vitæ miniſteria aptos habeat. Verùm poſt hæc habitationes oratione deſcribendæ ſunt. CLINIAS. Prorſus.

De habitationibus.

ATH. Ad nouam profectò ciuitatem, & antea nullis hominibus habitatam, in primis ædificia procuranda ſunt, & modus templorum murorúmq; habendus. Quæ ſanè nuptias præcedere debebant, ô

Clinia. Sed quoniá verbis nunc agitur, ita nimirum licet ponere. Quando verò ré ipſam aggrediemur, hæc ante nuptias ſi deus voluerit collocantes, reliqua deinceps omnia peragemus. Nunc autem tanquam in figura quadam hæc breuiter percurramus.

Situs vrbis.

CLIN. Fiat. ATH. Vrbs quidem tota in circulum in locis ſublimibus deducatur, vt & munitior ſit & mundior. Templa circa forum ſtruantur. Iuxta hæc magiſtratuum iudicumq; palatia, in quibus quaſi ſacratiſſimis iuſta & accipient & ferent ſententiá, partim quidem tanquá de rebus ſacris iudicaturi, partim verò tanquá iudicátium deorú ibi ſint delubra. Ibi etiá iudiciaria domicilia, in qubus de homicidiis cæteriſque capitalibus iniuriis iudicatur.

De muris.

De muris auté, ô Megille, Spartiatis ego conſentio, muróſque in ſolo iacere & non extolli facile patiar. Probè enim poeticum illud laudatur, quo æneos & ferreos magis muros quàm terreos condere admonemur. Apud nos verò id inſuper valdè ridiculum eſt, quòd ſingulis annis in agrum iuuenes emittantur, qui caueis, foueis, ædificiiſque confectis, longè hoſtes à finibus arceant. Et muros quidem circunducimus, quod primú ad ſanitaté ciuibus nihil confert: deinde animos ciuiú emollire & eneruare cóſueuit. Efficiunt enim, vt facilè intra eos ſe recipientes, hoſtes minimè fugent, puténtq; ſe non diurna nocturnáq; cuſtodia vigilantes, ſed murorú ſepto & vallo dormientes ſaluos fore, quaſi ad deſidiá nati ſint, ignorátes certe quieté à laboribus originé trahere, atque è turpi otio & negligentia naſci labores ſolere.

Quies à laboribus originem trahit.

Verùm ſi muris aliquibus muniendi homines ſunt, ſic ab initio priuatæ domus quæque códantur, vt tota vrbs æqualitate & ſimilitudine vnus ſit murus, habeántque domus omnes ſic tutú ad vias aditú. Quæ certè diſpoſitio & intuentibus erit grata, cum domus vnius figurá tota ciuitas habeat, & ad cuſtodiæ facilitatem & ad omniú deniq; conſeruationé erit longè omnium commodiſſima. Hæc ita à principio conſtrui, qui habitaturi ſunt ciues maximè curent. Ædiles quoq; prouideant, & eos qui negligunt, mulcta compellant. Curéntque vt vrbs quàm mundiſſima ſit, nec à priuatis vnquam patiantur aut ędificando aut fodiendo publicú aliquid occupari. Aquarú etiam pluuialiú vt abundè & facilè defluant, curam habeant; Itë omnium quæcunque vel in ciuitate vel extrà ſunt habitanda. Sed hæc omnia & cætera quæ à legibus (quia non omnibus prouideri poterat) prętermiſſa ſunt, legú cuſtodes vſu docti ordinét. Poſtquam verò hæc, & circa forú ædificia, & gymnaſia, & theatra ſpectantiú, & docentiú diſcentiúmq; domicilia diſpoſita ſunt, ad ea quæ nuptias ſequuntur, in ferendis legibus deinceps pergamus. CLI. Sic eſt faciendum. ATH. De nuptiis igitur ita vt diximus, ô Clinia, res ſe habet: poſt quas viuendi regula quæ filiorum procreationem pręcedit, nó breuior quàm annui temporis ſequitur.

De modo viuédi ſponſi & ſponſæ.

Sed qua ratione in præſtátiſſima ciuitate ſponſus ſponſaque cóuiuere debeát, cùm prædictis quidem cohęret, ſed facile dictu non eſt. Imò verò cùm multa in ſuperioribus difficilia ſint, quæ de his dicenda ſunt, difficilius cunctis vulgus accipiet. Quod tamé verum rectúmq; videtur, dicendú etiam, ô Clinia. CLI. Dicendum omnino. ATH. Quicunq; itaq; publica ſolum atque cómunia cenſet legibus ordinanda, propria verò etiá quæ neceſſaria ſunt, non curat, ac licentiá ſingulis quotidie viuendi, vt volunt, præbet, neq; certo ordine putat omnia faciéda, ſed priuatis neglectis, publica & cómunia ſecundum legé geſturos homines opinatur, non rectè opinatur. Quorſum hæc? Népe quoniam oportere ſponſos aſſerimus Reipub. noſtræ non minus, nec aliter aliis téporibus, quam ante nuptias in comeſſatione publica viuere. Mira quippe res quándo apud vos primùm comeſſatio inſtituta eſt, viſa fuit, quam veſtri bello vel alia re quæ vim eandé haberet, in hominú paucitate coacti inſtituerút: cúq; propter neceſſitatem vſi fuiſſent, plurimúmq; ad ſaluté conferre res viſa eſſet, legibus ſtatuta eſt. CLIN. Videtur. ATH. Mirú igitur id fuit, imperantiq; primo arduum. Quod nunc ſiquis ita lege ſancire aggrediatur, minus certè erit difficile factu. Verùm quod deinceps ſequitur, & dictu & factu arduú eſt: quod quamuis nuſquam fiat, tamen ſi alicubi fieret, rectè vtiq; fieret, ſed tale eſt, vt in eius deſcriptione legiſlator ſicuti ludentes igné diſſecare, & alia quæuis impoſſibilia aggredi videatur. CLI. Quid iſtud eſt hoſpes, quòd dicere adeò formidas? ATH. Audiatis iam, ne longiore vos mora fruſtra detineam.

De benè & malè ordinatis.

Quicquid enim in ciuitate legis ordiniſq; eſt particeps, cuncta ex eo bona procedunt. Quę verò ordine carent, vel malè ordinata ſunt, ea etiam quæ bene ſunt ordinata, deſſipant. Quod huic quoque rei accidit. Nam vobis, ô Megille & Clinia, pręclarè, & vt dixi, mirificè ex diuina quadá neceſſitate virorú cóſtituta eſt comeſſatio. Fœminarú aût comeſſatio nó probè relicta in tenebris iacet, Quod quidé genus aliud hominú eſt & differens, nobíſq; occultius & verſutius natura eſt propter imbecillitaté: atque ita minus ordinari poteſt.

De ingenio & natura fœminæ.

Idcircò ceſſit legiſlator, neq; rectè prætermiſit. hoc enim prætermiſſo, multa nobis corrúpuntur, quæ longè melius ſe haberét quàm núc, ſi hoc ipſum fuiſſet legibus ordinatum. Non eſt enim res muliebris, ſi iacere inordinata relinquitur, humanarú rerum, ſolú vt videri poſſet, dimidiú: ſed quátò natura ſua ineptior eſt ad virtuté quàm virilis, tantò excedit, vt plus quàm duplum eſſe videatur. Repetendú igitur hoc, & corrigendú, omniaq; fœminis cum viris cómunia ad ciuitatis felicitaté ſtudia cóſtituenda ſunt. Núc verò ſic infeliciter ad hoc humanú ducitur genus, vt non ſit prodentis, huius rei mentioné in aliis regionibus & ciuitatibus facere, vbi núquá comeſſationes publicæ probatæ ſunt. Vnde igitur quiſquam non ridiculè ad manifeſtá cibi potúſq; aſſumptioné mulieres cogere poſſet? nihil eſt profectò quod moleſtius laturum genus hoc videatur. Ná cùm timidè & obſcurè degere cóſueuerint, latoré legis in lucem conantem educere omni reluctatione repellent. Hoc inquam genus alibi quidem, quemadmodú dixi, nec orationem ipſam rectè dicentis ſine ingenti reclamatione audiet, hic autem forſitá ſuſtinebit. Quare ſi vobis quoq; videtur, collocutionis gratia, ne diſputatio de republica manca relinquatur, dicere volo quàm bona decénſq; res hęc ſit. Si vobis placet inquam, aliter verò dimittam. CLI. Mirum in modum, hoſpes, audire deſideramus. ATH. Audiamus iam igitur. Sed ne admiremini, ſi rem altius repetere viſus fuero. Ná otio abúdamus, neq; aliud quicquam nos vrget, quò minus omnia vndique quæ ad leges ſpectant, conſideremus. CLI. Rectè loqueris. ATHE. Prima itaque repetamus. Scire omnes oportet, hominum generationem vel nullú prorſus vnquam initium habuiſſe, neq; terminú habiturá, ſed fuiſſe omnino ſemper & fore: aut ſi cœpit, inæſtimabili iam ante nos temporis magnitudine incepiſſe.

Secula & mores antè dicta.

CLI. Planè. ATH. Nónne per omnem terram, vrbes multas códitas arbitramur atq; deſtructas, & diuerſa præceſſiſſe hominum ſtudia, partim cum ordine, partim etiá ſine ordine? Cibi item potúſque & veſcédi condiendiq; vſus quàm plurimos, & mutationes temporum varias, in quibus animalia diuerſis modis tranſmutata fuiſſe credendum? CLI. Nihil prohibet. ATH. Quid porrò? Vites putamus cœpiſſe olim, cùm nó eſſent: ſimilitérque oliuas, & Cereris atq; Proſerpinæ munera, quæ Triptolemus aliquis miniſtrauerit? Animalia verò, tempore quo iſta non erant, nónne ſicuti modò, alterum ab altero deuorabantur? CLI. Proculdubio. ATH. At verò quod ad ſacrificia pertinet, homines ab hominib. ſacrificari apud multos videmus: cótrariú etiam de aliis audimus, ſicuti quando nec bouillas quidé carnes guſtare audebamus, nec animalia diis immolabamus, ſed liba & fructus melle madétes, cęteráque huiuſmodi ſacrificia pura diis offerebantur. Carnibus auté abſtinebát. Nam veſci carnibus, & deorum aras polluere ſanguine, impium videbatur. Ita Orphica quædá vita tunc vigębat. In animatis quippe omnibus veſcebantur, & ab animalibus omnibus abſtinebant. CLI. Feruntur hæc paſſim, vt dicis, & valdè credibilia ſunt. ATH. Sed quorſum hæc à nobis omnia dicta modò ſint, forſan aliquis percontabitur. CLIN. Probè, ó hoſpes, id conieciſti. ATH. Propterea, ſi potero Clinia, quæ ſequuntur deinceps, declarare conabor. CLI. Dic iam. ATH. Trina quadam indigentia, atque cupiditate omnia hominib. depédere perſpicio, in quibus ſi rectè ducantur, virtus, ſin contrà, vitium naſcitur. Harum duæ ſunt in animalibus ſtatim natis cibi potúſq; cupiditates. Ad quæ cú omne animal innatú habeat appetitú, impetu rapitur, nec verba illius auſcultat, qui monet aliud agédú eſſe, q̄ vt horú cupiditates voluptatéſque expleantur, & dolores contrarij deuitétur. Tertia verò nobis indigétia ingens, & cupiditas acutiſſima, poſterius quidem innaſcitur, ſed ardentiſſimo furorę & maxima petulantia homines vrit, & agitat, ea quæ ad propagationem generis ineſt. Hi tres morbi ad id quod iucundiſſimú dicitur, rapientes, ab eo ad id quod optimum eſt, tribus maximis rebus vertendi ſunt, timore, lege, vera ratione. Quibus cum Muſæ & dij certatorij adhibeantur, vt incrementú & affluétia hoc pacto extinguantur. Procreationé quidem liberorum poſt nuptias collocare debemus. Poſt ipſam verò procreationé, educationem & diſciplinam. Sic enim forſan procedente oratione lex quæq; in priora progreſſa, in comeſſationes denique perducetur, quando in cœtus & cómuniones huiuſmodi peruenerimus: atque vtrum viris ſolis, an etiam mulierib. hæ cómuniones imperandæ ſint, tunc planius conſpiciemus, cùm propius acceſſerimus, & quæ illas præcedere debent, necdúmque lege diſpoſita ſunt, ſuú digeſta in ordiné, ipſis præpoſuerimus. Ita ſanè, vt modò dicebam, comeſſationes acutius inſpiciemus, conuenientiorésque de illis leges trademus. CLI. Scitè loqueris. ATH. Teneamus itaq; memoria, quæ modò dicta ſunt. Fortè enim vſui nobis quandoque erunt. CLI. Quæ tenenda iubes? ATH. Ea quæ cibi, potus, veneriſque vocabulis appellauimus. CLI. Fiet omnino, hoſpes, vt iubes. ATHE. Præclarè quidem. Sed veniamus ad ſponſalem, & ſponſum ac ſponſam quomodo liberi procreandi ſunt, doceamus, ac niſi perſuaſerimus, legú quarundam poſitione minemur. CLI. Quo pacto? ATH. Cogitare omnino ſponſus & ſponſa debét, quo pacto quàm pulcherrimos & optimos ciuitati liberos poterút procreare. Omnes autem homines qui cómuniter aliquid operantur, quádocunq;, & ad ſe inuicem & ad opus ipſum intendunt animú, bene & pulchè omnia faciút. Si verò vel non habuerint mentem, vel non adhibuerint, cótrà. Quare ſponſus ad ſponſam procreationémq; liberorum animú vertat, & ſponſa ſimiliter ad ſponſum, in eo tempore præcipuè quo adhuc nó genuerunt. Harú rerum curá habeant mulieres ſiue plures ſeu pauciores, prout placuerit principibus electæ. Quæ quotidie in Lucinæ congregentur tertiam horæ partem cómoraturæ, atque ibi aliis aliæ nuncient, ſiquidé virum mulieremve illorú qui matrimonij copula adſtricti gignendi habent facultatem, aliò intendere animú videant, quàm ad ea quæ in ſacrificiis nuptiarú iuſſa fuerunt. Procreatio autem liberorum, & eorum qui illi vacát obſeruatio decennium nó excedat, quádo ad ſit generandi fœcunditas. Si quæ ad id tempus infœcundæ perſeuerauerint, cóſilio cum propinquis & mulieribus harum rerum curatricibus habito, prout commodum vtriſq; eſt, diſiungátur. Si qua verò de vtriuſq; commodis acciderit altercatio, decem de legum cuſtodibus delecti quos ipſi voluerint, cognoſcat. Sed & mulieres ipſæ iuuenum domos ingreſſæ, partim monitis, partim minis ab inſcitia ipſos & delicto depellant. Quod ſi nequeant, legum cuſtodibus nunciét, atque illi id curent. Qui ſi prohibere nó potuerint, rem ad populú deferant, & ſcriptis errantium nominibus iureiurando affirment ſe illos meliores facere nó potuiſſe. Et qui ſcripto delatus eſt, niſi accuſatores cóuicerit, infamis ſit: nec nuptiis procreandiſque liberis vlterius det operam. Ac ſi id tentauerit, liceat cuilibet cædere ipſum impunè. Eædé ſint & mulierum pœnę. Ex pertes enim muliebrium degant honorum, nec ad nuptias partúſq; liberorum profectæ recipiant, ſi in iudicium arceſſitæ damnatæ etiam fuerint. Si poſtquá ſecúdum leges filios procrearunt, alienæ quiſquá vxori coniungitur, vel mulier viro, illis ſcilicet adhuc genrátibus, pœnis eiſdem ſubiaceant, quibus & ipſi dú gignebant. Sed viri & mulieres poſt liberorum procreationé caſtè viuentes, in his omnibus ſummoperè honorentur: qui contrà, vituperentur. Si contigerit vt plures in rebus eiuſmodi moderatè ſe gerant, quæ præcepimus ſilentio ſine ſcriptis legibus habeátur & fiant: ſin autem plurimi ſe minimè continebunt, legú conſcriptione declarétur, & ad eorum normam de ſingulis huiuſmodi iudicetur atq; agatur. Vitæ totius initium primus annus omnibus eſt, quem in ſacellis paternis vt viuendi initium tam puero quàm puellæ, ſcriptum eſſe oportet. Adſcribatur auté in pariete dealbato in vnaquaq; tribu, vt qui ad magiſtratus idonei ſunt, annorú numero conſtet: & cuiuſq; tribus viuentes homines proximè ſcribantur ſemper, & naturæ cedentes ſimiliter deleátur. Nuptiarum tépus puellæ ſit à ſextodecimo in vigeſimum, idque ſit longiſſimum tépus ad hoc inſtitutum. Maſculo à trigeſimo ad quintum & trigeſimú. Magiſtratus gerédi tempus, mulieri quidem annus quadrageſimus: viro autem trigeſimuſquintus. Belli ab annis viginti ad ſexaginta in viris: in mulierib. poſtquam filios pepererunt, vſque ad quinquageſimum ætatis annum. In quibus obſeruandum eſt, vt ad eum belli vſum potiſſimum qui & poſſibilis eis ſit & decens, accipiantur.

Adulterij mulcta.

Aetas [illegible]

DIAL

DIALOGVS SEPTIMVS DE LEGIBVS, VEL DE LEGVMLATIONE.

MARSILII FICINI ARGVMENTVM.

REgreditur Plato in ſeptimo rurſum incóparabili diligentia ad prima ætatis teneræ rudimenta, imò verò progreditur. Nunquam enim, vt ita dixerim, ab hoc ipſo digreditur, indicans totum reipublicæ bonum aut malum, in bonis aut malis moribus priuatorú, atq; hos præterea omnes in bona vel mala ætatis primæ educatione conſiſtere. Præcipuè verò id efficit in primis ſtatim libris, atque hoc iterum ſeptimo, vtrobique pictor diligétiſſimus. Sed ibi quidé adumbrando: hic verò, pictorum more dixerim, colorando. Rurſus ibi eiuſmodi diligentiæ præmium legum vult haberi: hic vero figuram iure ſubſtantiam legum antecedenté. Leges enim ſcriptas fore irritas inquit, niſi eiuſmodi præceſſerit diligentia. Ibi præterea ſimul & hic poſt puerilem ad iuuenilé deinceps atque virilem progreditur diſciplinā. Neq; abre poſt nonnullas ſacrorú leges in ſuperioribus ad nuptiales e veſtigio proceſsit leges quaſi ſacras, vt diuini animalis ortum auſpicaretur à ſacris. Mox verò poſt cōnubia ad formandos pueros ſe accingit, nec natos tantú, ſed & naſcétes, imò etiam naſcituros, non minus in hac ipſe ſeminis humani cultura, ſagax, prouidus & accuratus, quàm in frugú ſeminibus agricultor. Quorſum verò ſpectare céſes, quod ait in re muliebri multò plus diſcriminis eſſé quàm virili? ité mulieres abſtinere à vino oportere qua nocte generandi ſint filij, imò etiam & proximo præcedenti tempore, & toto conceptionis anno ab omnibus animum perturbantibus? Hæc proculdubio eò ſpectant, vt nihil exactiſsimæ curæ ad humaná culturam ſpectátis prætermittatur. Animaduertes autem ex his Platonem exiſtimauiſſe, non virú tantùm, ſed etiam mulierem in filiis generandis vicem agentis cauſæ obtinere. A quo quamuis quodam modò diſſenſerit Ariſtoteles, conſentiſerunt tamen plurimi apud medicos probatiſsimi. Profectò ſi ſuú quiſq; opus diligit, proptereáque pater filium diligit magis quàm diligatur à filio materque ardentius quàm pater amat natum, conicctare licet cauſam eſſe vnà cum viro huius operis effectricem. Quod quidem hinc etiá confirmari poteſt, quòd filij no minus ac ſæpe etiá magis matribus ſimiles ſunt quá patribus. Similitudo verò tam propria támq; frequens indicat fœtú ſubſtantiam non à patris tantú, ſed matris etiá effectione ſuſcipere. Omnis enim cauſæ conatus fertur ad ſimile producendú. Deniq; cùm ſpeciei eiuſdem ſit mas & fœmina, vires habent rationis eiuſdé. Vtrinque igitur efficaces ad formá eiuſdé rationis, & ſi nó pari, ſimili ſaltē ratione perficiédá. Sed hæc ad leges minimè pertinent. Tágit inſuper quæſtioné de atra bile nó paruá, cuius vitio infantes formidoloſi ſút, difficiléſq; & queruli. De hoc ipſo humore eiuſq; cura, in libro De curanda literatorum valetudine, diximus diligentius: Quantum verò ad præſens pertinet inſtitutum, humoré in pueris melancholicum non ex conſtitutione propria eſſe ſcito, quæ quidem ſanguinea eſt maximéq; aerea: ſed ex reliquiis quibuſdam materni méſtruiq; ſanguinis in puero putrefactis, & aduſtione quadam in atram bilé deinde conuerſis. Accedit ad pueriles formidines in cauſa, rerum nouitas, quæ quidé facit, vt & auditæ voces quaſi tonitrus, & viſæ formæ quaſi laruæ & fulgura terreát. Ratio interea, quoniá nondú expergefacta, imagines à rebus ipſis nequaquá diſcernit, animam relinquit imaginationi pro arbitrio concitandam. Ex hac ipſa formidine perpetuò dolét queruntúrq; infantes. Præſertim cú facilimè & à tractantibus offendantur, & lædantur ab aere, & ab agitatione naturæ plurimum in exordio laborantis agitentur ipſi atq; vexentur. Quam obrem motu quodam fermè perpetuò atq; numeroſo in curádis infantibus adoleſcentibuſq; vti iubet. Primo quidé quia motu geniti ſeruátur & motu. Secúdo, quia eiuſmodi motione vitę moderata immoderatæ agitationi tam intrinſecus à natura, tum extrinſecus ab aere factæ reſiſtimus. Tertio, quoniá motus caloré excitat naturalem, corpuſq; totum æquè viuificat. Quarto nutrimentum cócoquit digeritq; per membra. Quinto, ſuperuacua excreméta ſecernit. Sexto, obſtruſa aperit: & adæquat humores. Septimo, conducit ad augmentum. Octauo, membra apta ſimul reddit & ſolida. Nó ſolú verò moderatione quadá æqualitatis, verùmetiá numeri cuiuſdá pportione, motú nobis oportet congruere. De muſicæ quidé potentia, multa in multis epiſtolis diſſeruimus. Nunc verò ſatis intelligere, ſi per ipſam ſæpe in contraria, ſcilicet tum ad voluptatem, tum ad dolorem diſtrahitur animus, nimirum poſſe ab vtroq; ad habitum quendá vtriuſq; medium ſæpe reduci. Ac ſi à motu corporis in quietem, & viciſſim à quiete in motú reuocatur animus atq; prouocatur, certè poſſe quibuſdam muſicę modulis à motu ordinis experte ad ordinatú, atq; hinc ad ſtabilem habitum quandoque reduci. Quem quidé habitum & hic & in epiſtola ad Dionyſium ſecunda inquit, & dei propriú eſſe, & humanæ vitæ tutiſſimum. Vtrum verò voluptas ac dolor in motione quadá cóſiſtant, & quo pacto definiantur, in libro De voluptate, & in Philebi Cómentariis latiùs diſputamus. Satis in præſentia factú fuerit, ſi concludamus húc in modú. Voluptates guſtus & tactus in reſtitutione quadá in habitú corporis naturalé naſci videntur. Dolores verò contrà, in caſu quodam ex habitu naturali. Siue vtrunq; euacuatione fiat, ſiue repletione, ſiue motu, ſeu quiete, vel alteratione aliqua qualitatú. Præterea voluptates odoratus, & auditus, & viſus, in reditu quodá ad ordiné ſenſualem, à quo multis contingentibus quotidie deturbamur. Deinde voluptas imaginádi in regreſſione ſimiliter ad ordiné imaginalem à quo deiicit perturbatio. Ordo verò tam imaginalis quàm ſenſualis in quodá ſpirituú temperamento fundatur, cui quoties cótéperata ſimiliter admouétur, fit voluptas in mutua quadá ſenſus imaginationiſq; cum rebus, quę influút cognitate reſultás. Poſt hæc rationis lętitia in reformatione quadá naſcitur: per quá ratio quæ perturbatione corporea facta informis fuerat, vel deformis, formatur pro natura ſua, atq; reformatur. Denique mẽtis gaudiú reformatione perficitur, per quam intellectuali quodá intuitu reformatur aliquá do in ideam à qua acciderat ob negotioſę vitæ tumultum. Si inductioné hanc rectè cóſideraueris, videbis humanam voluptaté ſummatim fieri in reditu quodam in habitum naturalem: neque tam reditus ipſius, quàm habitus gratia fieri & optari. Igitur eiuſmodi habitus ſi fieri poſſit, perpetuò firmus maximè omniú eſt optandus. At cur cogitandi cuilibet occurere videtur optabilior oblectatio in motu perpetuo, quàm ſtatus ille perpetuus? Quoniá fallit nos imaginatio & opinio animæ mobili coiunctæ corpori perq; coniunctioné eiuſmodi voluptaté mobilé appetentis. Quàm meritò neglectura ſit præ naturalis habit⁹ firmitate, ſi quando poſita fuerit ſupra motú. Si enim reuera guſtaremus ſaporé ipſius habitus naturalis, extra qué in terris poſiti ſumus, ſicut motionis ad ipſum vergentis ſaporé guſtamus: procul dubio longo interuallo habitú regreſſioni preponeremus. Profectò quemadmodú omnes bonorú gradus, meliori modo ſe habent in ipſa ſtabili ratione boni quàm in materia mobili: ſic expetendorú omniú rationes in ratione habituq; eiuſmodi potius quàm in materia mobili collocantur. Per hęc probatú ſit proprium dei diuinorúmq; gaudium in ſtatu quodam conſiſtere incomparabiliter motibus cunctis iucundiore. Quem quidem prudentes & ipſi debét eligere, & cæteris, præſertim iunioribꝰ adhibere. Præterea cúctis pſuadere, voluptaté quæ ſit ex motu, nó ſolùm breué eſſe ac leuem moleſtiæq; permixtam, ſed etiam in multos & diuturnos ingentéſq; dolores cótinuò prolabi. Diſtinguit autem numeroſum motum per quem inconcinnos motus ætatis teneræ moderamur, in duo genera, in muſicam ſcilicet & gymnaſticam. Prima enim ſpiritum atque animum, ſecunda verò humores membráque componimus. Sub nomine quidem muſicæ non modò cantus & ſonos, ſed poeſim etiam & quæ ad figuratum ordinem pertinent, comprehendit. Sub nomine verò gymnaſticæ, motus omnes corporis in præludiis ludiſque certaminum atque præliis. At choræam ſaltationémque ex vtriſque quodammodo mixtam intellige. Tum his omnibus quaſi præludiis infantes, pueros, adoleſcentes, tam fœminas pariter, quàm mares ad officia & belli & pacis diligenter erudit: eiuſmodi verò rudimenta patrias appellat leges, ac reipublicæ vincula. Quibus ſubductis quaſi columnis recta reipublicæ corruant. Iubet ſingula in his haud aliter fieri quàm publicis regulis ſtatuantur: iudicans à delictis eiuſmodi, delicta omnia tandem in republica prouenire, atque ex mutabilitate ludorum iocorúmq; & ornamentorum, mutationem quoque legum & reipublicæ proficiſci. Notabis mutationé præterquàm in malis, eſſe rerú omniú periculoſiſſimam; adeò vt etiá ſi muteris in melius, ſalté ad tempus ſis periculum ſubiturus. Inter hæc ſacrificandum in ludis ait diis & deorum, filiis, atque dæmonibus. Dæmonibus inquam puris, vt deorum filiis nos concilient. Deorum verò filiis, vt deos nobis propicios reddant. Diis deniq;, quò ſummi Dei muneribus nos reddant paratiores. Sic vtiq; priſca cóſueuit religio quemadmodú de ſphæra in ſphærá gradatim corpore pertráſitur & viſu, ſic de propinquis numinib. ad remotoria deinceps ſuo quodá ordine pgredi in